

(3)

QVÆSTIONES

EX VNIVERSA

33

THEOLOGIA

SELECTÆ

QVÆS

IN ALMA VNIVERSITATE  
VILNENSI SOCIETATIS IESV

SVB AVSPICIIS

ILLVSTRISSIMI & RE-  
VERENDISSIMI DOMINI

D. CASIMIRI  
PAC

D. G. EPISCOPI SAMOGITIÆ  
VILNENSIS GERANONENSIS PRÆ-  
POSITI &c. &c.

Nobilis ac Generosus Dominus  
D. STANISLAVS SIEMASZKO  
AA. LL. & Philosophiæ Magister  
Sacræ Theologiæ Auditor.

Pro prima Laurea Theologica  
Publicæ propofuit Disputationi.

Anno Salutis Reparatæ MDCLXXII. Mensis Iunij Die. 25

VILNÆ Typis Acad. Societ. IESV.

ILLVSTRISIME  
<sup>ET</sup>  
REVERENDISSIME DOMINE  
MECOENAS AMPLISSIME

**Q**Vadrienni labore cultas, nec  
parco sudore rigatas jam jam pre-  
hensura lauros Theologia mea,  
floridissima Illustrissimæ PACIANÆ do-  
mū ambire audet Lilia. Præsul Illme. Tū  
enim pleno radiaturā decore suam pu-  
tat laureā, si gemmarum loco speciosius  
eam adornauerint lilia, non humili steri-  
liq; solo, sed in senatorio Regioq; culmi-  
ne nasci solita. At vbi in orbe Polono  
Lituanog; augustos florū Principes se-  
reniore micantes vultu, celsiore eminē-  
tes vertice, gratiose fragrantis odore  
reperiret, nisi in fæcundis immortalium  
decorū viridarijs PACIANIS? A quo faciliq;  
tanta se impetraturā decora confideret,  
quā à Præfulea manu Tua? quā in bene-  
ficia semper apertam porrectamq; auiti  
flores, repandis folijs gratiā spirantes, te-  
stantur, & Clientū Tibi æternū deuoto-  
rū frequens prædicat corona. Quoties  
enī (ut cætera taceā) in doctis Lituanae

stagiræ arenis extremo luctans agone  
Philosophia, florú Tuorú recreari fra-  
grantriá, virtuteq; roborari expetyt; to-  
ties eam fælicissimis animásti auspicijs,  
Illmi Nominis decorásti claritate, sacrâ  
Præfulei Honoris virtute roborásti: vt  
iam tot Tibi substratas numeres laureas;  
quot illaprehendit brauia. Quidni igi-  
tur & Theologia mea repulsæ tecura, sa-  
crâ Tuâ se dignandâ dexterâ, Lilijsq; con-  
decorandâ confidat? Novit illa & vene-  
ratur indolem tuâ ad beneficia natam,  
suspicit curas & studia, tum Regni, tum  
Ecclesiæ fælicitati deuota; miratur & a-  
mat religiosi pectoris zelum, saxonicæ  
Geneuensisq; hydræ suis in Samogitia já  
conclusæ spelæis, fatalem: in quam qua-  
drienniũ studiosè armata, sub Liliata fi-  
gna Tuamecũ admitti petit Theologia,  
non dubios sibi, te Duce, promittens  
trumpas, quos etiam nũ in Academico  
decertatura puluere læta prægustabit; si  
optatã Gentilij flores tui stillauerint  
ipsi gratiam. Ita precatur.

ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS TVÆ.

humillimus. Client

STANISLAVS SIEMASZKO.

I.



**D**EUM esse, demonstrabile est à posteriori. Demonstratur. Non omne quod existit in hoc Universo, existit, & est ab alio. Nam omne quod est ab alio, est ex se potentiale & indeterminatum ad esse actu, ut non possit transire ad actum, nisi alterius virtute determinatum. Posito ergo quòd tota collectio, & eorum quæ existerunt, & quæ existunt, esset ab alio, sequeretur, ea omnia, quæ existerunt, & quæ existunt, existisse & existere, & non existisse, nec existere. Primum sequitur ex terminis suppositionis, secundum ex natura abalieratis. Tota, quippe collectio ab alio, etiamsi dependentias ab alio & alio in infinitum extensas per hypothelam complectatur, est ex se potentiale quid, & indeterminatum ad esse actu, adeoq; tam impossibile collectionem infinitam esse ab alio totam, & extra illam nullum reperiri ens, à quo sit illa collectio, vel secundum singula membra, vel secundum aliquid suū; atque impossibile, est unam entitatem aliquam esse ab alio, & tamen posse existere independentem ab omni à se distincto, processus enim in infinitum non immutat rerum naturas, & ubi essentialis est indigentia determinativi quod transferat à non esse ad esse, non tollit illam vel ab aliquo in tota collectione contento vel à tota collectione. Disparitas ex his quæ dicta sunt, facile statui potest, inter processum in infinitum in creaturis possibilibus perfectioribus & perfectioribus, & processum in creaturis ab alio, cur ille stare possit sine implicancia, non agnoscendo ullam perfectissimam creaturam, hic verò non potest, quin deveniatur ad ens à se; nimirum quòd processus in creaturis perfectioribus & perfectioribus, possibilibus in infinitum, habeat fundamentum extra collectionem omnium creaturarum possibilium, ipsam essentiam Divinam, quæ ita secundum infinitos gradus, finitè est imitabilis à creaturis, ut nulla ex illis sit possibilis, quæ aut totam simul exhauriat imitabilitatem, aut per suam perfectionem tantum accedat ad Deum, ut non remaneat in DEO altioris gradus imitabilitas: processus verò in infinitum creaturarum omnium existentium ab alio, sicut excludit simpliciter ens, à quo possit concipi determinatio huius collectionis ad esse, ita nullum habet fundamentum sui esse, cum tota, quanta, quanta concipiatur, collectio, Entium ab alio manet in sua indeterminatione, ac per consequens potentialitate sine ente à quo sit.

Adde, ut ex toto de alietate discursu inferatur, necessario dari ens à se, illud pro evidenti habendum, mutuam causalitatem quoad primum esse implicare. Implicancia est illa, quæ omnes rectè philosophantes videntur: quia implicat idem respectu eiusdem & præexistere naturam prius in ordine ad Physicam causalitatem, & non præexistere. sive esse prius & posterius, imò seipso prius aliquid existere. Dato autè quòd A causet B, & pro eodem instanti ipsum B, causet A, quàm necesse est ante existentiam B, existere prius naturam A, causans ipsum B, tam necesse prius naturam ante existentiam A, existere ipsum A. Ergo mutua sequitur prioritas. Item prius quàm intelligitur B, existere virtute suæ causæ A, quia A, per ipsum B, causatur, necesse est B, habere suam existentiam. Ergo idem prius se ipso, existet, B enim existet, antequam habeat existentiam acceptam ab A.

Ex his omnibus consequitur, impossibile esse, ut omne quod existit, & existit, sit ens ab alio, ergo datur ens à se; hoc verò est ipse DEus Optimus, Maximus. Quamvis enim asseritas sit prædicatum de primo conceptu negativum, dicens independentiam ab omni alio tanquam à causa, habet tamen vim inferibilitatis omnium perfectionum, quæ ens perfectissimum constituere possunt, quia excludit omne limitationis fundamentum, siquidem ens cui accidit ab omni exemplari & physice influente causa, est independentens, ipsi autem ab intrinseco & ex se connaturalius est, omnis boni existentiam habere, quàm in defectum inclinare. Confirmatur hæc ratio. Quamvis essentia ab alio procedentes, non ex libera determinatione causæ, sint sub hac, vel illa limitatione suæ essentia, sunt tamen tales aliquatenus, ex necessaria causæ determinatione: vel enim illa in sua virtute limitata est, & tunc participabilitas circumscribitur limitata perfectione causæ, vel in omni genere perfectionis illimitata est, & tunc habet ex essentia sua, ut limitatè secundum infinitos gradus sit imitabilis & participabilis; ut non minùs verum sit, essentiam talem esse, quia talis est in specie, atq; esse talem in specie, quia talem gradum imitabilitatis & participabilitatis ens infinite perfectum continet. Imò per prius ratione nota

tra sunt certi gradus imitabilitatis in causa infinitè perfecta, quàm certi gradus entium limitatorum: propterea rectè dici potest, ideo Angelus huius vel illius perfectionis, est possibilis, quia DEUS secundum hunc gradum perfectionis est imitabilis, non è contra ideo talis imitabilitatis gradus est in DEO, quia Angelus talis perfectionis possibilis: limitata verò, & per gradus limitatos, causæ infinitè perfectæ est imitabilitas, quia unitas exclusiva multiplicationis realis eiusdem naturæ, est perfectio simpliciter simplex, enti infinitè perfecto essentialiter conveniens, quam unitatem non servaret, si secundum omnem suam perfectionem esset imitabile & participabile. Hinc patet hoc ens à se, quod necessariò dari probavimus, esse illimitatum in omni genere perfectionis, per consequens dari Deum, cuius confusus quidem sed genuinus conceptus est, Deus est ens, quò nihil melius esse & cogitari potest.

## I I.

**F**ORMALE constitutum essentia DEI à parte rei è independenter ab intellectu, est sola intellectio actualis Divina. Per actualem intellectiõnem constituitur formaliter DEUS in gradu perfectissimo naturæ à parte rei, ut pote quæ & potentialitatem physicam à DEO excludit, & prioritatem radicalem habet ad alias perfectiones Divinas, tanquam proprietates ab eadem independenter ab intellectu, virtuali maiore distinctione distinctas. Ab ea emanat volitio virtualiter distincta; quòd emanet, patet ex eo, quia & in DEO verum est: ut obiectum ametur, aut odio habeatur, debere prius cognosci. Ergo volitio est quid consequens intellectiõnem, tanquam radicem: quòd virtualiter distincta, probatur. Dum Filius æternus, quem ex ratione Filij, necesse est procedere in similitudinem naturæ, procedit per intellectiõnem, sive vi suæ formalis processions accipiat intellectiõnem, non volitionem, ipsam intellectiõnem naturam esse, est necesse; alioqui aut tam verbum, quàm Spiritus Sanctus, inadæquatè naturam acciperent, aut uterque accipiendò adæquatè naturam, uterque esset Filius; quorum neutrum admitti potest. Ex his consequens est, contradictoria de se cadere super intellectiõnem & volitionem divinam, quòd Filius procedat per intellectiõnem, Spiritus Sanctus pervolitionem non intellectiõnem.

Assumpti huius pro distinctione virtuali maiore probanda inter intellectiõnem & volitionem. Fundamentum est primum Auctoritas sanctorum Patrum, qui considerantes diversitatem inter generationem filij & processiónem Spiritus Sancti, ipso Spiritu Sancto illuminante (ut credere sanctum est) hanc agnoverunt, quòd Filius procedat per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem. Ideoquè Ireneus, Cyrillus Alexandrinus, Basilius, Arhanasius, Damascenus, Ambrosius, Augustinus non aliam reddunt rationem, cur Filius æternus sit verbum, sermo, sapientia, imago, nisi quòd ex intellectiõne, cognitiõne, mente procedat, per consequens dicendum: ideo Spiritus Sanctus non est Verbum, imago, sermo, sapientia, quia non ex mente, non ex intellectiõne, sed ex amore procedit. Ergo ex sensu sanctorum Patrum prædicata de se contradictoria independenter ab intellectu verificantur de intellectiõne & volitione Divina: verificari autem nequeunt, nisi virtualis inter illa admittatur distinctio maior, quia neq; inadæquata in tertio inter illa reperitur, quæ sufficere posset, nec realem fides patitur, nec rationis ratiocinatio sufficit, cùm distinctio ex nostris conceptibus, contradictionis independentis ab intellectu vim tollere non possit.

Secundum fundamentum: quia alij modi diversitatem processionum Filij & Spiritus Sancti explicantes, nec communi conceptui Filiationis, nec communi sanctorum Patrum menti sunt accommodati. Sic ita, quòd aliqui adversariorum obrudunt, de fide esse quòd Filius æternus accipiat naturam fecundam, Spiritus Sanctus non accipiat fecundam, per hoc diversitas generationis Filij, à Processione Spiritus Sancti non explicatur; num enim fecunditas formaliter facit Filium & non origo viventis à viventè in similitudinem naturæ? quot non filij ex fecundis Parentibus, non fecundi? 2do. prius est esse filium quàm esse fecundum, quoduis enim est prius in ordine ad se quàm ad aliud. 3tio. Quamvis Doctores passim admittunt, quòd, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, nec tamen admittunt, quòd, si ab illo non procederet Spiritus Sanctus, Verbum non esset Filius: Ergo fecunditas non est formalis ratio Filiationis. 4to. vel ad rationem filij requiritur, ut procedens eiusdem omnino gradus adæquatam à Patre participet

participet fecunditatem, vel non requiritur vt eiusdem gradus? si primum? sequitur secundam Personam non esse Filium, quia non accipit à Patre fecunditatem generandi Filium. Si secundum? assignetur fundamentum asserti quòd hæc fecunditas inadæquate communicata producto, sufficiat ad rationem Filij. Quod quia ab adversarijs non assignatur, modus iste explicandi diuersitatem processionum probari non potest.

Ex eadem radice à parte rei, intellectione scilicet, Paternitas, spiratio activa immediatè, Filiatio, Spiratio passiva mediatè profluunt: prius enim DEUS est in suo esse absoluto, per quod in perfectissimo gradu naturæ constituitur, vt per intellectionem constituitur, quàm relativis proprietatibus perficiatur, quarum distinctio ab intellectione, independens à nostris conceptibus, colligitur manifestè ex illis contradictorijs: natura communicatur, Paternitas non communicatur, spiratio activa est principium Quo productivum Spiritus Sancti; natura non est principium Quo productivum Spiritus sancti.

Non obstat assertioni nostræ quòd intellectio Divina pro omni signo videat se non esse priorem in quo, volitione. Satis est quòd videat se esse priorem à quo, quemadmodum licet Pater æternus in nullo signo existendi sit prior Filio, est tamen prior prioritate originis Filio.

Non obstat quòd primum obiectum intellectionis Divinæ non possit præsupponi ad ipsam, quandoquidem, essentia Dei, quæ est primum obiectum intellectionis Divinæ, sit ipsa intellectio. Non obstat inquam, nam intellectio Divina prout tendit in hoc obiectum primum, scilicet in seipsam, est immediatè reflexa supra seipsam, non prius intelligibilis sibi, quàm intellectio sui; quod facile persuasum habebis, si ad veritas ad illud, non esse necessarium vt quævis cognitio habeat obiectum seu terminum à se distinctum aut influentem in illam.

### III.

**P**ossibilis est species impressa DEI, apta concurrere cum intellectu creato videndum DEUM in se Per speciem impressam, intelligo qualitatem, quæ essentialiter sit similitudo virtualis obiecti, ex natura sua ordinata ad concurrendum cum potentia loco obiecti, vt illius efformetur imago intentionalis. Æqualem illam esse obiecto cuius vires, supplere debet, minimè est necesse, nec est necesse, vt in se omnem obiecti repræsentandi contineat similitudinem, sed sufficit vt inadæquatam. Vicaria obiecti essentialiter est, non quòd omnino ad suum esse, aut ad suum influxum, aut obiecti absentiam supponat, aut in eodem defectum virtutis ad concurrendum immediatè per se, vel impedimentum aliquod; sed quòd ex essentia sua habeat activitatem, ad præstandum id, quod præstare debuisset obiectum in sua imagine efformanda, quod satis est ad hoc vt vicariæ denominationem propriè habeat; cum ex communi votis acceptione, ly vices alterius gerere, plus non importet, quàm præstare, quod alteri præstandum esset, ex natura rei, vel officio; adeoq; causa principalis respectivè ad vicariam sui verè est illa, cui si non esset impedita, aut impotens, aut liberè ita volens, primò per se ex natura rei, aut vi officij conveniret præstare, quod alterum in hunc finem substitutum præstat. Convenit porro ex natura rei obiecto, vt cum potentia ad sui imaginem efformandam concurrat effectivè, tum quia ex obiecto & potentia paritur notitia, tum quia cum simile secundum scholæ Peripatheticæ principium non possit cognosci nisi à simili, nulli per se magis competit constituere intellectum prius naturâ ad intellectionem, intellectæ rei similem, quàm ipsi obiecto intelligendo, cuius similitudinem intellectus per suam cognitionem exprimere debet. Hinc tamen DEUS in se, ex se intrinsecè intelligibilis est, in se, ex se, & per se non ad terminandum tantum cognitionem creatam sui repræsentativam, sed ad movendum obiectivè vel maximè habilis, potest tamen vicariam sui in officio concurrendi cum potentia creata ad se videndum habere speciem impressam, quæ ipsum extrinsecè reddat intelligibilem, quando vult, & quantum vult, hoc enim nec imperfectionem ullam invehit in DEUM, nequè creatæ entitati maiorem quàm limitatio illius patitur, attribuit perfectionem; quod quis facile deprehendet, si ad memorata initio de specie impressa respiciat. Reclamant huic fundamento quidam scrupulosi zelantes quasi pro Deo. Aiunt enim; eo ipso quòd DEUS est purum intelligibile quòd ad suum esse, fore illam speciem impressam purum intelligibile, fore suum esse, quod repugnat. 2do. Æquè repugnare perfectioni divinæ vt is, qui est primum intelligibile, spo-

licet se immediato concursu obiectivo, atque repugnat, ut is qui est prima causa effectiva, spoliat se immediato concursu effectivo. 3tio Repugnat infinita sapientia, ut aliquid essentialiter superfluum & redundans producat; talis vero esset species impressa: sicut enim superflua esset intellectio accidentaliter ordinata ad reddendum subiectum intelligens, quod est per essentiam intelligens, ita essentialiter esset superflua species impressa, reddens intelligibile, quod essentialiter & per essentiam est intelligibile. 4to Illa species impressa deberet esse infinita, utpote obiecti infiniti virtualis representatio, quod admitti non potest. 5to. Esset in eodem ordine in representando cum DEO & hoc repugnat. 6to. Esset beatificativa hominis, quod excedit limitationem entis creati.

Ad Primum R. Nego sequelam, non recte ex termino in obliquo importato, derivatur denominatio in cognitionem importatam in recto, Cognitio substantia, non est substantia, cognitio materia, non est materia, Ergo etiam non recte datur denominatio speciei impressae importatae in recto, ex termino importato in obliquo: sicut enim in cognitione formali, duo necesse est distinguere, actum vitalem representativum, & obiectum quod representatur, ita in specie impressa, qualitatem quae se habet ut vitalis similitudo ordinata ad concurrendum cum potentia loco obiecti, & obiectum cuius est virtualis similitudo: sicut physicae perfectiones obiecti non debent tribui physicae entitati cognitionis, aliam cognitionem asini, esset physice asinus, & quot non asini in capitibus horum zelarorum pascerentur? ita perfectiones obiecti physicae, non debent tribui physice speciei impressae, adeoque species impressa Dei non erit physice purum intelligibile, & suum esse, erit intentionaliter virtualiter, quod minime repugnat: sicut non repugnat cognitioni de Deo continere intentionaliter formaliter esse Dei. Ad 2dum nego assumptum. Nota disparitas est, quia illa abdicatio concursus universalis, creaturam ab immediata dependentia exemptam, extraheret ex ordine creaturae: cum de ratione creaturae sit, dependere in esse, & in operari immediate a prima causa; haec enim subordinatio maior est, quam alia mediata, adeoque respectu entis infinite perfecti essentialiter debita, quod hoc ipso a summa perfectione deficeret si aliquam, summe & maxime non haberet subordinatam creaturam ex natura & essentia sua, substitutio autem speciei impressae pro immediato obiectivo DEI concursu ad videndum DEUM, non evertit hanc subordinationis necessitatem in creatura: nam species impressa, non subiret vices causae universalis influentis effectivae, nec influeret sine concursu ipsius Dei universalis, sed sicut ad alios effectus, quos se solo Deus posset producere, adhibet causas secundas, ita ad hoc, ut obiectivae inveniatur potentia creata ad representationem Dei, in se veram efformandam. Ad 3tium Concedo in casu posito intellectioem accidentalem fore superfluum, nego speciem impressam superfluum fore. Ratio disparitatis est, quia intellectio accidentaliter in eodem genere praestare deberet effectum formalem, in quo iam habetur; scilicet reddendo intrinsece intelligens, quod est intrinsece intelligens; species vero impressa in alio genere redderet intelligibile, scilicet extrinsece, quod iam est intelligibile intrinsece. Duplicem vero possidari eiusdem rei intelligibilitatem, minime ambigi potest; nam idem Angelus ut immediate applicatus alteri, potest ad sui intuitionem concurrere per se, & si Deus ita velit, potest loco illius producere speciem impressam, vices eiusdem Angeli, in ordine ad eundem effectum supplementem. Ad 4tum Species Impressa Dei erit infinita, sumpta denominatione a termino, siue secundum obliquum concedo. Sumpta denominatione a sua entitate siue secundum rectum Nego. Neque enim aut in modo representandi, aut in re, extensione, aut exigentia alieius perfectionis erit infinita secundum suam entitatem. Ad 5tum Species impressa Dei in tantum est in eodem ordine in representando cum Deo, in quantum sicut Deus est per suam essentiam, sui secundum se representativus ita illa, licet non eadem perfectione esset representativa virtualiter Dei, in sua representatione idem esse Divinum intentionaliter exhiberet licet inadaequate, quod esse Deus habet physice. Quod si nimium hoc esse dixeris pro ente creato, tollere debetis visionem beatam formalem creatam, quae utraque ratione memorata in eodem ordine est cum Deo. Ad 6tum R. distinguendo: Species impressa esset beatificativa effectivae concedo, Terminativae & obiectivae nego. Non obstat speciei expressae Dei, quod sit beatificativa ut quo formaliter, quid obstat impressae beatificativae esse ut quo virtualiter? cum & Intellectui creato quod sit beatificativus, ut quod effectivae inadaequate omnino conveniat.

**D**atur in DEO scientia media de futuris liberis actibus libera voluntatis creatæ. Ipsum nomen scientiæ mediæ aliquibus est exosum, ut illud graviter audiant, & novitate vocis aures veteranorum offendi clament. Hi ne voce absterri, veritatem fugiant, aut vocis criminatione, alijs à veritate fugam persuadeant; revocare omnibus satis est, Sanctæ Matris Ecclesiæ, Conciliorum, & SS. Patrum communem illam praxim, ut ubi Mysterijs fidei explanandis, antiqua accommodata non suppetunt verba, voces novas efforment; quod olim probavit Augustinus t. 4. lib. 83. Quæst. quæst. 46. inquit: Licere unicuique rei ignotæ, quæ nullum usitatum habet nomen, quodlibet novum imponere. Ratio huius nominis, quod scientia mediâ attingat statum medium rerum, inter possibilitatem & existentiam absolutam, statum scilicet conditionatum. 2do. Media magis propriè dicitur, quia mediû tenet inter scientiâ naturalem, sive necessariam & liberam, ac simplicis intelligentiæ atque visionis, non per abnegationem utriusque extremi, quemadmodum viride dicitur medium, inter album & nigrum. Participat aliquid de scientia naturali, quia non præsupponit decretum Dei liberum actu positum, à quo dependeat, participat de libera, quia obiectum illius non est simpliciter necessarium; potuit enim aliter se habere ex determinatione Causæ liberæ Creatæ: participat ex scientia simplicis intelligentiæ, quia abstrahit ab absoluta existentia & non existentia. Conditionalis enim nihil ponit in esse: participat de scientia visionis, quia aliquo modo attingit existentiam, nimirum sub conditione futuram vel non futuram. An sit media tanquam membrum dividens immediatè scientiam, parvi momenti est quæstio. Censet melius dici, non esse medium membrum immediatæ divisionis in rigore Logico. melius enim scientia Dei primo dividitur in Categoricalam, & hypotheticam, tum deinde hæc in suas species.

Hæc de nomine. De re. Scientia media de futuris contingentibus liberis, (de his enim vel maximè notitia utilis & digna) est Scientia certa & infallibilis de actibus nostris liberis sub certa conditione futuris vel non futuris, vel maximè sub conditione huius vel illius auxiliij Divini, independens in sua certitudine & infallibilitate à decreto antecedente tam absoluto simpliciter, quàm conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte actus. Quia hæc scientia est de liberis actibus, hoc ipso, conditio, sub qua attrahit obiectum, non debet habere necessariam connexionem cum futuritione, vel non futuritione obiecti: hæc enim connexio traheret necessariò post se futuritionem vel non futuritionem, adeoque tolleretur libertatem. Necessè tamen est, ut conditio, sub qua actus liber futurus, vel non futurus videtur, habeat se vel ut causa libera, vel ut occasio conducentis ad actum, sine necessitate illius illativa. Quia est conditionata, non requirit ad sui veritatem, aut conditionis ipsius positionem determinatè defacto futuram, aut aliorum prærequisitorum ad actum sub conditione cognitum, sed solum requirit ex hypothesi ponendæ conditionis, positionem actus aut non positionem, conformiter ad affirmationem vel negationem propositionis. Non dico veritatem illius stare in bonitate consequentiæ, hoc enim proprium est tantum conditionalibus illativis, quales non sunt de futuris contingentibus liberis, has tamen quoque verè conditionales esse, satis id probat, quod pereas intellectus attingat obiectum sub statu conditionato, & non absoluto, supponitur quoque aliqua connexio causæ, vel conditionis cum eventu, propter quam connexionem conditionales ad scientiam mediam pertinentes, proximè ad illativas accedunt. Certa & infallibilis hæc est notitia Deo, quod sic probo. Vis intellectiva in Deo infinitè perfecta est, ut eâ perfectior esse, & cogitari non possit, ex quo evidenter sequitur, quod quidquid determinatam veritatem habet, illud ab intellectu Divino perfectissimè est cognoscibile, futura conditionata libera, habent veritatem determinatam; necesse enim est unam contradictoriarum conditionalium esse determinatè veram, sicut unam contradictoriarum absolutarum; quandoquidem perinde non datur inter illa medium, atque inter ista. Ergo certò & infallibiliter cognoscuntur à Deo futura conditionata libera, secundum suam determinatam veritatem, scilicet determinatè futurum quod futurum est, determinatè non futurum, quod futurum non est. Confirmatur Primo Certum est, id, quod cognoscitur sub conditione, purificatâ conditione



fore determinate, vel non fore. Ergo independenter à purificatione actuali conditionis, respectivè ad futuram purificationem, verum est, hoc sub conditione fore, aut non fore; quod enim est positum, sub conditione posita, non potuit non fuisse futurum. sub conditione futura, & quod non est sub conditione posita, implicat futurum fuisse sub conditione futura, cum omne, quod in aliquo presenti est verum, habeat in antecedenti futuritionem veram. Secundo. Si in DEO non esset certa & infallibilis notitia horum contingentium liberorum conditionalium, Divinæ prædictiones de contingentibus futuris liberis sub conditione non mererentur assensum firmissimum, quod Catholicè sensiri non potest.

Ultimum punctum de hac scientia maxime controversum, quod nimirum in sua certitudine & infallibilitate sit independenter à decretis conditionatis ex parte obiecti, absolutis ex parte actus. Controversiæ occasio est. Datur in DEO scientia conditionata de contingentibus, quæ nunquam sunt futura, ut proinde nec existentiam conditionis in se, pro certa differentia temporis, nec coexistentiam effectus à conditione pendens, DEUS videre possit, ipse etiam ex parte essentia suæ & virtutis intellectivæ, est indifferens ad cognoscendum vel coexistentiam eventus, vel negationem coexistentiæ eventus cum conditione, cum conditio, quia necessariam connexionem cum eventum non habet, non possit determinare ad iudicium de futuritione eventus, ex suppositione quod ipsa ponatur: Medium ergo querendum, in quo certo & infallibiliter videat DEUS futuritionem coexistentiæ actus liberi, posita certâ conditione, & hoc medium quidam dixerunt esse decreta DEI prædefinitiva conditionata ex parte obiecti, absoluta ex parte actus, quibus DEUS statuit conditionatè efficaciter, ut si talis conditio ponatur, eventus talis sive actus liber infallibiliter sequatur.

Assertio nostra ex mente Doctorum Societatis IESV contrarium loquitur, quævis conditionata futura libera certo & infallibiliter sciri à DEO independenter ab omni decreto prædefinitivo antecedente conditionato exercitè posito, quamvis omnes hypothetici actus scientiæ Divinæ mediæ includant in hypothesi decreta divina vel futura, necessaria ad positionem eventus sub conditione futuri, cum enim scientia mediæ versetur circa actus liberos creatos, qui essentialiter dependent ab aliquibus decretis Divinis, necesse est, ut DEUS per scientiam mediæ cognoscens actum creatum sub conditione futurum, attingat per modum conditionis decreta sua, sive de concursu universalis, sive de auxilijs supernaturalibus, à quibus essentialiter pendet effectus sub conditione futurus, ut hypothetica ista? Si Petrus cras audiverit Concionem, converteretur, involvat ex parte conditionis & illuminationem supernaturalem, occasionatam ex concione, & concursum universalem præparatum ad conversionem, ab iisdem enim causis DEUS videt effectum sub conditione futurum, à quibus est absolute ponendus tanquam necessarijs ex parte ipsius effectus.

Solvitur difficultas, ut assertio firma maneat. DEUS per scientiam mediæ actus liberos creatæ voluntatis sub conditione futuros videt in seipsis, secundum statum existentia conditionatum, neque enim cognitio rerum in seipsis, est tantum rerum ut absolute existentium pro certa differentia temporis, cum & possibile à DEO in seipsis cognoscantur, licet non ipsis immediate per modum obiecti concurrentibus, sed essentia Divinâ per modum speciei impressæ ad illorum cognitionem se habente. Determinatio verò Intellectus Divini obiectiva & purè terminativa, ad hoc, ut iam futuritio potius actus sub conditione cognoscatur, iam non futuritio sub alia, est ipsum fore actus ex libera determinatione, si conditio ista ponatur, vel non fore si alia: determinatio quasi Physica sive motiva, qualis ab obiecto, vel à specie impressa in creatis esse solet, provenit ab ipsa intrinseca infinita perfectione essentia Divinæ quæ ex se postulat per modum speciei impressæ concurrere ad representandum actum sub conditione futurum, qui futurus est, & ad representandum non futurum, qui non futurus est sub conditione. Ex una enim parte repugnat ab intrinseco essentia Divinæ, ut cognitiones habeat falsas, ex altera parte repugnat, ut DEUS careat tali prævia cognitione conducente, ac necessaria ad perfectionem ipsius universalis providentiæ, & ad liberam effectioem effectuum liberorum creatorum in ordine ad finem à se præintantum: hæc ut simul DEUS habeat, necesse est, ut ab intrinseca perfectione infinita ex se determinatus sit ad cognoscenda obiecta secundum veritatem obiectivam, quam vel absolute habent vel conditionatè es-

sent

sent habitura, si conditio poneretur. *Essentia ergo Divina sola vi sua est sufficienter determinata, ad concurrendum effectivè motivè ad eam cognitionem, quæ defacto est infallibiliter vera. Confirmatur id ipsum refutatione oppositæ opinionis. Sine laesione libertatis creatæ, non potest DEus habere decreta prædefinitiva actuum liberorum independenter à scientia media, quibus decernat efficaciter actus liberos sub conditione futuros, Ergo admittenda est determinatio ab intrinseco ad cognoscendam futuritionem potius, quam non futuritionem, aut è contra. Probatur Antecedens, primo. Decreta prædefinitiva habent necessariam connexionem antecedentem omnè exercitium libertæ voluntatis, cum actibus eius, causativam eorundem inevitabiliter sub conditione posita, ergo tollunt libertatem: habent connexionem & causativam inevitabiliter; sunt enim efficacia ad positionem illorum actuum sub conditione: antecedunt liberum exercitium, quia si illud supponerent, prius illud in se videretur, quam in decreto. Consequentia legitima; libera enim causa est, quæ positis omnibus ex parte actus primi requisitis, potest operari vel non operari; suppositis verò talibus decretis prædefinitivis, non potest voluntas non operari efficaciter. Sit ita, quod dum prædefinitur ad non operandum, potentiam habeat ad operandum, sed quia ligatam habet, hoc ad libertatem illius non sufficit, sicut non sufficit, ut verè liber dicatur ad saltandum, cuius pedes à saltu catenâ ferreâ prohibentur.*

Multas responsiones ad hoc argumētum solvendum Adversarij adhibent, quas non refero, quia iam sufficienter in scholis sunt refutatæ. Recentiore cuiusdam subijcio, ait ille. Decreta prædefinitiva non esse priora prioritate in quo, sive prioritate durationis, sed priora prioritate à quo, quæ prioritas, sive antecessio non officit libertati actuum humanorum, ita enim in communi sententiâ Doctorum Societatis, cognitio indifferens est prior prioritate à quo actibus liberis, scientia simplicis intelligentiæ conjuncta cum Divina voluntate, est prior actibus creatis futuris absolute, neutrum tamen tollit libertatem.

Ex instantijs colligat lector vim responsionis, argumētum procedit de priori prioritate à quo, habente efficaciam, necessitatem, connexionem cum posteriori, instantiæ adferuntur de prioribus prioritate à quo, nullam necessitatem & infallibilitatem cum posteriori quoad esse habentibus. Ut responsio Adversarij aliquid valerēt, probandum erat, quod ea quæ prioritatem à quo cum connexionem infallibili effectus habent, non tollant libertatem; ad hoc probandum, cum non sufficeret adversarius, obtrū sit quod potuit, sed vim argumēti non elusit.

2do DEus prævidit peccata sub conditione futura, ut patet ex illis scripturæ verbis, nisi abbreviati fuisset dies illi, non fieret salva omnis caro. Et raptò est, ne malitia mutaret intellectū. Atqui decreta prædefinitiva & prædeterminativa ad peccatum non dantur, secundum Concilij Ar. usi cæni Can: 25. alias DEus esset æquè Author peccati atque boni operis; Ergo futura conditionata non videntur univèrsim omnia in decretis prædefinitivis.

Si quis dicat, quod DEus non prædefiniat formale, sed tantum materiale peccati, vel non eodem modo DEum velle materiale peccati, quo homo, quod homo velit reduplicativè ut tale, scilicet quatenus fundat malitiam & difformitatem moralem, DEus autem tantum specificativè sub conceptu entitatis & actualitatis. Contra est: Qui vult Materiale peccati, vult indirectè & interpretativè malitiam peccati, utpote inseparabilem à materiali peccati, cum & homo non aliter peccet ordinariè, nisi volendo materiale peccati, scilicet actionem talem, cum quæ inseparabiliter videt conjunctam moralem difformitatem. Item, ut homini tanquam agenti morali imputeretur peccatum, non est necesse, ut velit materiale peccati reduplicativè ut tale, sive ut fundat malitiam & difformitatem, sed ut velit talem actionem, quam novit fundare seu involvere malitiam moralem. Ergo si DEus simili modo prædefiniat peccata, imputanda essent illi, ut Authori morali peccati.

Scientia media sic declarata, ipsa est mediū altissimum infinitæ sapientiæ Divinæ, ex cuius directione disponit suaviter & fortiter omnia, maximè quæ liberos voluntatis creatæ actus supernaturales concernunt, ipsa est medium, quo cum efficacia gratiæ, libertas voluntatis creatæ clarè & solide conciliatur, ut & Pelagijs detrahens gratiæ, & Calvinus libertatem creatam tollens confundantur; ipsa est medium, quo & liberalis beneficentia Dei in electos suos ostenditur ad oculum, & illorum libera operatio defenditur à necessitate: ipsa est medium, quo bonitas Divina vindicatur à calumnijs hæreticorum. Pro-

batur primo In tantum Divina sapientia suavitè disponit circa actus liberæ voluntatis creatæ, in quantum plenam relinquit libertatem cooperandi suæ vocationi vel resistendi, in tantum fortiter, in quantum semper obtinet consensum, quem intendit efficaciter obtinere: operando ex directione scientiæ mediæ, vtrumque coniungit, dat enim auxilium gratiæ, quod ex sua Entitate non infert necessitatè operationis, adeoque voluntatem creatam in actu primo relinquit, indifferentem ad operandum & non operandum, quia verò per eandem scientiam mediã prævidit certis auxilijs certò & infallibiliter liberè consensus hominem, dum illa eligit & confert infallibiliter obtinet consensum infallibilitate suppositionis consequentis, quia erat liberè futurus sub conditione. Et illud quidem verum est (quidquid contradicant alij) quòd ex solius scientiæ simplicis intelligentiæ directione agendo, posset DEUS efficaciter obtinere consensum liberæ voluntatis creatæ, sed non nisi cæcâ quadam providentiâ. & cæca contentione, cum enim futuritio consensûs sub conditione futuri, sit independens à scientia mediã, & prior illâ obiectivè, posset DEUS ex possibilibus auxilijs illud casu eligere, cui creatura est consensus, aut tam diu vnum post aliud auxilium conferre, donec perveniret ad illud cum quo est consensus, sed cum hic cæcus operandi modus alienissimus sit à DEO, manifestè euincitur necessitas scientiæ Mediæ in DEO, quâ prælucente certus fit de effectu securo, vel non securo ad collationem cuiusvis auxiliij. Probatur 2dum. Efficacia gratiæ libertati creatæ non noxiã in eo sita est, quòd cum illa coniugatur, infallibiliter consensus liberæ voluntatis creatæ, libertas voluntatis creatæ in eo sita, quòd postis omnibus ad agendum ex parte actus primi requisitis possit agere vel non agere: hæc duo, admittit scientiã mediã in DEO facillimè concordant, videt DEUS gratiam efficacem, quando videt per scientiam mediã, si contulerit hanc gratiam, hominem liberè consensus ex sua libera determinatione, & non solius gratiæ activitate vel impulsu, quo in casu manet libertas hominis, quia consensus ille sub conditione futurus ita est ex libera determinatione voluntatis futurus, vt ex eiusdem determinatione potuerit non esse. Neque tamen ex hoc sequitur, quòd homo discernat seipsum, nam & sub conditione non intelligitur consensus supernaturaliter sine auxilio gratiæ DEI, nec absolute consentit sine illo: per consensum etiam conditionatum vt prævisum non discernit se homo probus ab impio, quia multi tales consensus conditionati etiam in impijs prævidentur, quos cum certis auxilijs, & in certis circumstantijs essent habituri. Discretio ergo hominis iusti ab iniusto in actu primo, est per collationem auxiliij, cum quo prævidetur per scientiam Mediã consensus, discretio in actu secundo est actualis influxus auxiliij divini, & liberæ voluntatis cooperatio, vbi quia principaliter operatur auxilium divinum, ipsi DEO auxilium conferenti hæc discretio merito tribuitur. Neque sequitur potuisse hominem scientiam Divinam Mediã falsificare, sed solum potuisse suã determinatione facere, vt DEUS hanc scientiam Mediã de consensu futuro non haberet, quam de facto habet, quòd nec fallibilitatem scientiæ mediæ dicit, nec imperfectionem in DEO, quem suppositã liberã voluntate creatã, & concessa illi libertate, necesse est in suis actibus, hanc libertatem respicientibus, exercere ab illius determinatione pendere. Probatur 3tium. Liberalis beneficentia DEI in eo sita est, quòd nullo præcedente merito, medijs libertati accommodis ad finem supernaturalem homines ducat, hoc facit dirigente scientiã mediã, per quam talia cognoscit mediã; quamvis tota liberalis ratio beneficentiæ non consistat in collatione auxiliij, quòd per scientiam Mediã videtur consensum habiturum, vt patebit ex dicendis. Probatur 4tium. Calumniantur Hæretici DEUM ita esse authorem peccati, vt & salutis, sumpta quasi occasione ex scripturæ verbis malè explicatis ad Roman. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam? Quomodo ex voluntate DEI secundum Catholicum sensum est miseratio, quam certa sequitur salus? nisi quia prævisa consecutione operis, cum complacentia in eadem consecutione conferuntur auxilia, sub quibus prævisum est opus securum, quomodo induratio ex voluntate DEI? nisi quia præviso non consensu hominis cum certis auxilijs, illa conferuntur de se sufficientia; similiter facit DEUS aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, neque lædendo libertatem electorum aut reprobòrum, neque aut electos ad bene operandum, aut reprobos ad malè necessitando.

Multa Aduersarij adferunt in oppositum, sed ex principijs iam indicatis omnia  
 fere solui possunt. Vnius Recentioris aliqua argumenta subijcio. Imum. Scientia  
 Media fauet errori semipelagianorum, quia illâ admittit videt DEUS aliquod initium fidei  
 nostræ & bonæ voluntatis, quod non sit à gratia, sed à natura, nec à DEO, sed à libero ar-  
 bitrio: determinatio enim & motio voluntatis, quâ intellectus applicatur ad creden-  
 dum mysterijs fidei, est initium fidei, hæc est à natura, non à gratia; gratia namq; sub-  
 iicitur arbitrio liberæ voluntatis, & ab illo applicatur ad agendum, quare non gratiæ  
 sed naturæ tribuenda determinatio. Respondeo Quod scienciâ mediâ Pelagiani & se-  
 mipelagiani sint abusi, non diffiteor, utiq; & efficaciam gratiæ intrinsecâ infallibiliter post  
 se trahente consensum abusus est Caluinus ad imputandam soli DEO iustificationem &  
 reprobationem malorum: Catholicorum sensus de scientia Media nihil errori hæretico  
 fauet. Reijcitur enim ab illis tanquam hæreticum; DEum vel poenâ afficere propter ma-  
 la opera præuisa præcisè vt futura sub conditione, quæ nunquam fecerunt, sed factu-  
 ri fuissent, si diutius vixissent, vel propter bona eodem modo considerata, præmiare. Re-  
 ijcitur quod DEus per scientiam mediam videat hominem facturum opera salutaria solis  
 viribus naturæ. Reijcitur DEum scire operationes nostras salutares vt futuras condi-  
 tionatè, quæ non sint dona DEI, sed purè nostra merita. Ad Probationem Respondeo:  
 Hoc esse de necessitate libertatis creatæ, ex cuius determinatione debet procedere actus  
 liber, vt illa gratiam applicet, & determinet ad operationem; sicut & concursus DEI  
 vniuersalem determinat, ad hanc potius, quam aliam speciem actûs: si enim prædeter-  
 minaretur libera voluntas ab aliquo horum, non maneret libera, sed necessitata: initium  
 tamen iustificationis gratiæ diuinæ tribuitur, quæ gratis sine præuisis actualibus meritis  
 confertur. tanquam principium actuum per quos iustificamur.

2dum. Scientia media tollit à DEO rationem primæ causæ, quia supponit futuri-  
 tionem conditionatam entium liberorum sine decreto DEI, & quia gratia danda ad con-  
 sensum sub conditione intelligitur indifferens, pendebit determinatio prima à vo-  
 luntate creata non à DEO, Ergo DEus non est causa prima respectu cuiusuis effectus  
 creati. Respondeo. Nego assumptum, quod neutra probat ratio: nam futuritio actuum  
 liberorum, supponit in sua hypothesi decretum Diuinum ponendum, quamuis non sup-  
 ponit positum, sicut non supponit causam secundam positam actu, cuius effectus sub con-  
 ditione futurus videtur: ad præuisionem enim futuri vt futuri sub conditione, non re-  
 quiruntur principia in statu absoluto præuisa. Indifferentem esse gratiam ad consen-  
 sum conditionatum omnino est necesse, & oportet eam applicari à libero arbitrio ad ope-  
 rationem, non per antecedentem simpliciter determinationem, sed per simultaneam  
 cooperationem.

3tium. Scientia media tollit supremum dominium diuinum in liberas voluntates;  
 non potest enim DEus illis vri easq; applicare ad quodcumq; voluerit, nisi præuideat  
 nos volituros. Respondeo supremum dominium Diuinum in liberas voluntates est, &  
 ad tollendam illarum libertatem, & ad obrinendum aliquid non tollendo libertatem: si  
 velit tollere libertatem, potest non præuidendo nos volituros, velle efficaciter vt veli-  
 mus, ponendo medium efficaciter necessitans ad volendum, si velit non tollere, non po-  
 test obrinere ex prudenti & certa dispositione quod intendit per determinatum medium,  
 sine præuisione futuræ volitionis nostræ cum hoc medio necessitatem non inferente.

4tum. Scientia Media derogat omnipotentiæ DEI: positâ enim illa v. g. de con-  
 uersione Petri, illum conuertendum, si talia auxilia, tali tempore conferantur, vel po-  
 test DEus auxilijs positis in tali tempore velle oppositum? vel non potest? Si potest? er-  
 go scientia media non erit infallibilis, quia effectus per illam præuisus, sub certis condi-  
 tionibus futurus, potest illis positis non poni. Si non potest? diminuta est omni-  
 potentia Dei. R. Sicut ad præteritum non datur potentia, ita nec ad futurum ex suppo-  
 sitione, quod sit non futurum, Adde impossibile esse purificari omnes conditiones, sub  
 quibus præuisus est futurus effectus, si DEus illum nolit poni, nam inter alias conditio-  
 nes inuoluebatur voluntas Diuina, quâ velit hunc & non oppositum poni actum.

5tum. Scientia media attribuit DEO cæcum concurrendi modum cum causis liberis.  
 Probat. Ad effectum sub conditione futurum supponit concursus DEI indifferen-  
 tem, qui est cæcus quia non est cum intentione aut volitione actûs & effectûs particula-  
 ris. Sed solum cum intentione generali concurrendi ad id quod volet creatura, hoc

autem est cæco modo concurrere. **R.** Nego Antecedens & punctum Probationis, illud quod concursus indifferens sit cæcus concursus, si enim esset cæcus, esset talis vel idè, quia DEUS actu concurrente ad vnum ex oppositis vi prioris voluntatis, quâ præparauit concursum indifferentem, non videret effectum ad quem exercitè concurreret, vel quia vi præparati concursus huius indifferens ad actum secundum suum & liberæ voluntatis, non videret, quis effectus esset secururus. Primum dici non potest, hoc enim nec asserentes scientiam mediã dicunt, nec ex natura scientiæ mediæ deduci potest: posterius necessarium est, implicat enim in causã indifferenti vt tali, videri effectum determinatum. Præparatio tamen talis concursus, non est præparatio cæca, sed accommoda agentis libertati. Fallitur arguens addendo, quòd Assertores scientiæ mediæ doceant per talem actum à DEO præparari concursum indifferentem: volo concurrere ad id, quod volet creatura; longè enim alium actum assignant, hunc v.g. Volo pro hoc instanti A. concurrere ad amorem B. & non C. ad odium B. & non A. cum creatura determinante se ad amorem vel odium: qui actus non est conditionalis in rigore, vt DEUS ad actualem concursum prærequirat purificationem conditionis antecedentem, sed absolutus, significans absolutam volitionem concursus, siue cooperationis cum operante creatura amorem vel odium. Necessarium esse talem concursum indifferentem, satis patet ex eo, quòd non possit homo liberè libertate contrarietatis operari amorem Dei in instanti A. qui pro hoc instanti, non habuit concursum Diuinum ad odium DEI, qui enim possit operari odium, qui non habet concursum ad odium? nunquid causa secunda sine prima aliquid operari potest?

**8um.** Scientia mediã tollit libertatem creatam. Ratio est: Hæc scientia supponit res esse futuras ex vi & natura oppositionis contradictoriæ, oppositio autem contradictoria est causa necessaria necessitate absoluta, tollens libertatem. Malè supponit, idè non rectè arguit Aduersarius, Assertores scientiæ mediæ docent quidem ex eo, quòd vnum oppositorum contradictoriè, necesse est esse verum, rectè inferri, vnum esse cognoscibile vt verum determinatè; si enim est verum, est cognoscibile ab intellectu infinite perfecto vt verum; minimè verò docent, quòd ipsa vis oppositionis contradictoriorum sit causa, vt hoc potius membrum oppositionis sit verum, quàm aliud; aut hoc potius falsum quàm aliud.

**7um.** Scientia mediã facit DEVM Authorem peccati: Supponit enim concursum indifferentem à DEO offerri creatæ voluntati, quæ cum se determinat ad malum, DEVS etiam concurrat ad malum æquè atque ad bonum, absque vilo discrimine effectiuo, quidquid sit de affectiuo, & quidem non tantum ad materiale sed & ad formale peccati. Non leue crimen obijcitur, sed nec leuiter probatur, imò in ipsa adiecta quasi probatione diluitur, si enim non æquè effectiuè concurrat DEVS ad peccatum, atq; ad opus bonum, quomodo est Author peccati? Diluitur præterea, quia DEUS ex determinatione causæ creatæ concurrat ad peccatum, non ex sua determinatione ideoq; Author peccati non est, præferim, cum hoc ipsum vt concurrat ex determinatione causæ creatæ, honestum est Authori naturæ, à quo & omnis effectus creatus essentialiter pendere debet, & quem deceat libertatem operandi relinquere creaturis liberis, quorum vtrumque stare non potest, nisi indifferentem præparat concursum ad vtrumq; oppositorum, ipsiusq; creaturæ liberæ determinationi applicationem concursus relinquat.

## V.

**SOLA Proçessio verbi est generatio.** Assertio est deinde. Verbum enim quod caro factum est, vnigenitus est Patri, vt habetur Ioannis I. Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, vbi particula quasi, non est diminuens, sed explicans veritatem, vt adnotârunt Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Chryostomus, Theophylactus, Euthymius, vnigenitus indicat manifestè esse genitum, & illum solum esse qui genitus est. Vnigenitum verò esse Filium Dei, præter adductum locum plura alia loquuntur. Vnigenitus qui est in sinu Patris: sic DEUS dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret. Cum ergo ipsum Verbum sit vnigenitus Patris, ipsum verbum est Filius vnicus Patris, quod si Filius, per generationem à Patre procedit, quam generationem non obscurè Spiritus Sanctus Psalmo 2. expressit loquens per os Prophetæ in Persona Patris, Filius meus es tu, ego hodie genui te, & Psalmo 109. ex vtero ante

ante Luciferum genui te. **Supposita** hac veritate ex fide certa, laborant Theologia reddeda ratione, cur processio secundae Personae in Divinis sit generatio, & Persona secunda procedens sit Filius, processio tertiae Personae sit simpliciter processio, seu spiratio, & procedens non Filius sed Spiritus Sanctus. Longum esset omnium referre & examinare opiniones, resolutionem tantum quae probabilior est visa adfero. Ideo processio secundae Personae est generatio, quia vi illius formaliter communicatur intellectio, quae est formale constitutum naturae & essentiae Divinae, in quantum haec dicit ultimam radicem perfectionum Divinarum, quae ab ea tanquam proprietates virtualiter distinctae ortum habent. Processio Spiritus Sancti non est generatio, quia vi illius formaliter non communicatur intellectio, sed volitio, quae est quasi proprietas virtualiter distincta ab intellectu, tanquam constitutione formali naturae Divinae. Resolutio haec fundatur primo in ante dictis de constitutivo formali naturae Divinae. Secundo in communi illo Theologorum sensu, qui sacrae scripturae Conciliorum & SS. Patrum innititur iudicio, quod processiones Divinae sint per intellectus & voluntatis operationes, nimirum processio secundae Personae per intellectum, tertiae Personae per voluntatem. Ex his enim consequitur secundam Personam procedentem per intellectum generari, Tertiam Personam non procedentem per intellectum non generari, cum generatio sit origo viventis a vivente principio coniuncto formaliter tendens in similitudinem naturae, illa porro formaliter tendit processio in Divinis, in similitudinem naturae, vi cuius accipit formaliter procedens naturam, vi illius accipit naturam, vi cuius accipit formaliter intellectio. Ergo cum secunda Persona tantum vi formalis processionis accipiat communicatam sibi intellectio, quae est formaliter natura Dei, non item tertia Persona, illa generatur, non haec, illa est Filius, non haec. Absit ut ex occasione dictorum quispiam cogitet, aut secundae Personae simpliciter non communicari volitionem cum intellectu, aut tertiae Personae non communicari intellectio cum volitione, cum omnes perfectiones absolutae sint communes toti Trinitati, nec solus sit aut Pater, aut Filius cum Patre intelligens, sed & Spiritus Sanctus, nec solus Spiritus Sanctus cum Patre volens, sed & Filius, quamvis in solo Patre sit intellectio fecunda, non in Filio, nec in Spiritu Sancto, & in Patre ac Filio volitio fecunda, non in Spiritu Sancto. Habet & Filius volitionem essentiali, sed non vi formalis processionis sed vi realis identitatis cum intellectu, quam accipit vi formalis processionis, habet & Spiritus Sanctus intellectioem verè realiter, sed non vi formalis processionis, sed vi identitatis realis cum volitione, quam vi formalis processionis accipit, & ideo verum est dicere, quod non tantum Pater & Filius sit DEUS, sed & Spiritus Sanctus sit DEUS: non enim tantum Pater & Filius habet naturam Divinam, sed & Spiritus Sanctus. Pro explicatione huius mysterij accomoda est instantia ex Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, in quo vi verborum consecrationis sub speciebus panis ponitur tantum corpus Christi, concomitanter sanguis, sub speciebus verò vini ponitur vi verborum formaliter sanguis Christi, corpus verò concomitanter, nec tamen sequitur aut sanguinem formaliter non esse sub speciebus panis, aut corpus sub speciebus vini.

Contra resolutionem istam opponitur Imo. non est fide Divina certum, intellectioem esse formale constitutum essentiae DEI, ut virtualiter distincta a proprietatibus, fide autem Divina certum est, processionem secundae Personae esse generationem, non item tertiae Personae. Respondeo si fide Divina certum esset, cessaret controversia inter Theologos de hoc puncto iam verò hoc maiori probabilitati huius resolutionis minimè obstat, praesertim cum asserentibus ipsis aduersarijs proximum fidei sit processionem Divinam secundae personae per intellectum esse, tertiae per voluntatem, per quarum utramque si aequè primo per se formaliter communicaretur natura, & a què volitio esset naturae Divinae formale constitutum, atque intellectio, sequeretur aequè Spiritum Sanctum procedere in similitudinem naturae, atque Filium, adeoque esse verè Filium, vel nec secundam Personam esse Filium, quia non procederet adaequatè in similitudinem naturae, non accipiendo vi formalis processionis volitionem, quae per hos Authores inadaequatè formaliter constituit naturam Divinam. Haec sequela legitime ex opposita opinione deducta, satis probat illud fundamentum nostrum primum, quod formale constitutum naturae Divinae, sit sola intellectio ut virtualiter intrinsecè distincta a volitione essentiali.

Opponitur 2do. Spiritus Sanctus vi formalis processionis suæ procedit vt persona Diuina, Persona verò dicit naturam quæ subsistentia personali terminatur, ergo Spiritus Sanctus vi processionis formalis accipit naturam. R. nego Antecedens quia Spiritus Sanctus formaliter vi processionis nec procedit vt DEus, nec vt Persona vel suppositum Diuinum, sed præcisè vt amor subsistens. Licet enim in creatis non detur aliquid concretum ex subsistentia & substantia quod non sit persona vel suppositum, in Deo tamen rectè eiusmodi concretum admittitur, ex subsistentia & attributo, quod non est natura, cum præter naturam & aliæ perfectiones sint substantia in Deo, vt est volitio.

Opponitur tertio. In vno quoq; ente prius est natura quàm proprietas, Ergo etiam in Spiritu Sancto vi formalis processionis prius est natura, quàm proprietas, prius intellectio quàm volitio, siquidem illa habet se vt natura, hæc vt proprietas. R. Distinguendo in vno quoq; quod habet naturam vel à se, vel per productionem ab alio, concedo in vno quoq; quod habet naturam per communicationem ab alio formalem nego. Quando enim in Persona communicatiua sui, præsupponitur & natura & proprietas, sicut primo per se potest communicare naturam, non communicando primo per se proprietatem, sed concomitanter, ita potest primo per se communicare proprietatem, non communicando primo per se naturam, sed concomitanter. Cuius vltior ratio, quia communicatio proprietatis non dicit emanationem proprietatis in Persona cui communicatur sed proprietatis in persona communicante quasi emanatæ, eiusdem omnino realiter & virtualiter participationem, ideoq; in persona cui communicatur non præquirat nec præsupponit naturam tanquam radicem.

## VI.

**A**ngelus quamvis ad finem supernaturalem elevatus, sanctificante tamen carens gratia in primo instanti creationis, nec ad visionem beatificam admissus absolute loquendo in primo instanti suæ creationis peccare potest. Fundamentum est, quia ita consideratus Angelus in primo instanti creationis, habet omnia requisita tam ex parte intellectûs, quàm ex parte voluntatis, vt possit peccare, ex parte intellectûs habet cognitionem indifferentem, quæ ita obiecti honestatem proponit, vt in illius prosecutione aliquam difficultatem exhibeat, aut in opposito obiecto malo aliquam bonitatem delectabilitatis, quæ trahat in sui amorem representando simul difformitatem in prosecutione huius mali; ex parte voluntatis habet concursum indifferentem à Deo præparatum ad boni vel mali prosecutionem, habet immunitatem ab omni principio necessitante ad bonum, & ab omni impossibili cum prosecutione mali; verbo habet ea omnia tam ex parte intellectûs, quàm voluntatis in hoc instanti ad peccandum requisita, quæ potest & debet habere requisita ad liberè peccandum in secundo instanti. Ergo sicut in secundo instanti Angelus taliter consideratus, liberè peccare potest, ita potest in primo instanti creationis. Respondent oppositæ opinionis Authores primo. Angelo in primo instanti creationis deesse hoc ad peccandum, quod non possit seipsum mouere ad primum actum intellectûs & voluntatis, sed debet hæc motio & applicatio fieri ab ipso Authore naturæ Angelicæ, qui est DEus, à DEO verò tanquam à causâ particulari, qui est infinite Sanctus, non potest esse motio & applicatio intellectûs ad cognitionem defectuosam, & voluntatis creatæ ad malum, & hoc aiunt esse discrimen, cur potuerit Angelus in primo instanti creationis, mereri, peccare non potuerit, quia nimirum non repugnat, vt DEus primo specialiter moueat, & applicet creaturæ rationalis potentias ad bonum, repugnet vt applicet ad malum, nam aliàs Author esset peccati. Probant assumptum, vt Angelus applicet se & moueat ad primum actum, debet per ordinem ad illum non esse in pura potentia, sed aliquo modo in actu, atqui antecedenter ad primum actum non potest intelligi esse aliquo modo in actu per quem se applicet & moueat ad primum actum, ergo non potest seipsum mouere & applicare ad primum actum, sed debet ab aliquo exteriori principio moueri scilicet à Deo. Declaratur probatio magis, voluntas non se applicat ad actum nisi ex præuio dictamine, dictamen præuium ad liberum actum voluntatis esse non potest nisi voluntas applicet intellectum ad illud, non applicat verò intellectum sine aliqua priori notitia, ad quam notitiam, si esset rursus applicatio ab ipsa voluntate daretur processus in infinitum nisi fiat motuum resolutio voluntatis in aliquod principium exterius mouens à quo applicetur intellectus ad formandum dictamen regulatiuum voluntatis Ergo.

Contra

Contra Responſionem eſt primo. Totus diſcurſus iſte procedit contra peccentiam peccandi in ſecundo tertio vel quarto inſtanti, nam cum Angeli non omnia obiecta cognoſcant in primo inſtanti creationis, nec omnia habeant dictamina: in ſecundo, tertio, quarto, & ſequentibus perinde non poterit Angelus ſe mouere & applicare ad primum actum in hoc inſtanti eliciendum, quem in primo non elicuit, cum ille primus utpote nullam habens connexionem cum actu, in 2do inſtanti ponendo non poteſt mouere determinare, ergo neceſſe erit ut motio & applicatio fiat a Deo. Ergo aut Angelus in ſecundo, tertio, & ſequentibus peccare non poterit, aut DEUS Author erit peccati, utrumq; eſt contra fidem. Contra eſt 2do. in primo inſtanti creationis, ſpecies primo excitata, ſufficienter mouent & applicant intellectum ad notitiam de obiecto, circa quod eſt formandum dictamen, ergo poteſt eſſe peccatum in Angelis, quin Deus ſit motor & applicans tanquam cauſa particularis ad peccaminolum actum. Contra eſt 3tio dato, quod motio & applicatio ad primum actum cognitionis in Angelo, ſit ab ipſo Deo tanquam Authore naturæ Angelicæ, minimè ſequitur DEUM fore Authorem peccati, aut alicuius dictaminis defectuoſi, nam nec actus voluntatis, illam conſequens cognitionem, procedet a Deo tanquam cauſa particulari per ſe influente, ſed influente tanquam cauſa vniuerſali per accidens, nec cognitio præuia ad actum voluntatis erit defectuoſa poſitiuè, ut determinantem DEUM ad ſui poſitionem reddat in genere moris culpabilem, nam cognitio illa erit de honeſtate vera, & malicia obiecti, de honeſtate coniuncta cum aliqua moleſtia aut difficultate, de malicia coniuncta cum aliqua bonitate delectabilitatis, qualis cognitio eſt ſufficientis ad liberè eliciendum actum voluntatis, ſiue bonum ſiue malum, ſecluſo omni alio dictamine ſiue imperio intellectuſ hoc faciendum eſſe potius quam illud, quandoquidem voluntas ex natura ſuæ libertatis excludit determinativum antecedens ad vnum, nec intellectus, qui potentia neceſſaria eſt, ſed voluntatis, quæ potentia libera eſt, munus & dignitas eſt determinare ſe ad vnum ex oppoſitis contradictonè vel contrariè. Contra eſt 4to Præuia cogitatio ad liberè peccandum requiſita, non debet eſſe poſitiuè defectuoſa vel per errorem vel per ignorantiam; defectuoſa præſiue, quæ ſcilicet non extendat ſe cum omni aduerſentia ad ſingula motiua a peccato retractiua, non eſt mala moraliter, nec culpabilis, nec motorem ſuum facit authorem peccati, adeoq; poteſt eſſe a Deo tanquam primo mouente & applicante, alias DEUS a priori eſſet cauſa noſtrorum peccatorum, quæ plerumque committuntur cum defectu aduerſentia ad aliqua motiua, quæ nos retrahere potuiſſent, ſi propoſita fuiſſent, non fuerunt verò propoſita, quia Deus hanc & non aliam illuminationem inſudit. Axioma quod hic adferre ſolent Authores, quos impugnamus. Omnis peccans eſt ignorans, intelligendum eſt, quod in omni peccante ſit carentia alicuius cognitionis, quam ſi operans haberet, eſſi adhuc ea ſtante, abſolutè potuiſſet peccare, tamen non peccaſſet: hæc ignorantia in peccante tali modo explicata, licet Deo motori ad primam cognitionem in Angelo tribuatur, nec Deum authorem peccati facit, nec aliam imperfectionem in Deum inuehit. Ad alterum Axioma quo iſdem vtiuntur: Qui dat formam aut eſſe, dat conſequentia ad eſſe. Reſponderur. Axioma illud formatum & receptum eſſe tantum de conſequentibus naturaliter, & neceſſariò, non verò de conſequentibus liberè; cauſa enim ponens, agens potens liberè operari, relinquit illi liberam determinationem ad operari vel non operari, ad operari hoc modo vel illo, ideoq; defectus repertus in operatione, non ipſi cauſæ, agens potens liberè operari, ponenti, tribui debet, ſed agenti ipſi producto liberè operanti defectuoſè.

Opponunt aliqui ad perfectionem prouidentia Diuinæ pertinet, ut creaturam rationalem ad finem ſupernaturalem ordinatam, condat inſtructam in actu primo perfecte ad huius finis conſecutionem, & ut eam in hoc ſtatu productam non ſinat in eodem inſtanti a ſe deficere per peccatum, Ergo DEUS agendo ſecundum perfectiſſimam prouidentiam non poteſt ita producere Angelum, ut poſſit in primo inſtanti creationis peccare. Reſpondeo. Tranſeat prima pars antecedentis, nego ſecundam, ſicut enim ad perfectionem prouidentia Diuinæ non pertinet, ut talem creaturam non ſinat in ſecundo, vel tertio inſtanti a ſe deficere per peccatum, ita non pertinet, ut non ſinat in primo inſtanti; quandoquidem illa defectio non proveniet ex productione, aut ordinatione defectuoſa producentis, ſed ex perversa determinatione productæ illius creaturæ rationalis.





VII.

**C**LEMENTEM X. legitime electum, & ab Ecclesia acceptatum Pontificem summum, Christi Domini esse vicarium s. Petri successorem est de fide. De fide est Ecclesiam Christi ad consumationem sæculi duraturam, cum portæ inferi illi præualere non possint, quæ fundamenta eius subruant: duraturam supra Petram ipsum scilicet Petrum, quem ob fidei perennaturæ constantiam, hoc nomine Christus honorauit, idem infinite verax prædixit: Super hanc Petram visibili modo aliter stare non potest, nisi in successoribus, illius legitimis, quorum vnusquisq; tanquam caput visibile regat, foueat protegatq; hanc dilectam Christi sponfam. Legitimum esse successorem S. Petri hunc vel illum, aliunde scire non possumus nisi ex electione, & legitima ab Ecclesia vniuersali acceptatione, quâ suppositâ sicut necesse est agnoscere alios Pontifices fuisse vicarios Christi, & S. Petri successores, ita & Clementem X. Fundamentum huius asseri est. Ecclesia Vniuersalis Catholica secundum Apostolum, est columna & firmamentum veritatis, sicut ergo vi huius reuelationis rectè concluditur per definitiones Pontificum illam errare non posse propter Spiritus Sancti assistentiam; ita dum in defectu huius capitis, de illius successore agnoscendo agit, in sua acceptatione Vniuersalem Ecclesiam non posse errare, sequitur manifestè. Adde, quod nisi de fide esset, Pontifices ab Ecclesia acceptatos ac per consequens modernum quoq; sanctissimum Legitimè acceptatum, esse Christi Vicarium, & S. Petri successorem, non essent de fide articuli, qui à summis Pontificibus etiam sine euidenti deductione ex reuelatis sunt definiti: sæpe enim fit, vt ante definitionem articuli cuiuspiam, ad illum comprobandum non adsint in particulari miracula, nec præcedat consensus vniuersalis fidelium de eodem. Quî ergo positâ Pontificis definitione posset honestè imperari assensus, nisi motiua credibilitatis, quæ Ecclesia habet vniuersalia pro suis veritatibus, ita honestatem assensus de Authoritate Pontificia Spiritus Sancti directioni subnixæ redderent credibilem, vt fide Diuina credi posset? Hæc verò creditâ euidentiſſimum habetur iudicium de honestate assensus firmissimi circa obiectum quoduis recens definitum, nam euidenter honestum est assentiri hoc esse reuelatum, quod asseritur esse reuelatum ab eo, qui nec falli nec fallere potest propter assistentiam Spiritus Sancti.

Argui potest contra à pari. Quamuis de fide sit sub speciebus panis legitime consecratis Corpus CHRISTI contineri, non est de fide sub speciebus ab hoc Sacerdote hodie consecratis Corpus CHRISTI contineri, Ergo etiam quamuis de fide sit legitime electum Pontificem esse Vicarium Christi & successorem D. Petri, non est tamen de fide Clementem X. esse Vicarium Christi & successorem D. Petri. Probatur paritas: Id-ò illa particularis propositio: Sub his speciebus, ab hoc Sacerdote hodie consecratis, est Corpus Christi, non est de fide, quia non est omnimoda certitudo species ab hoc Sacerdote esse legitime consecratis, potuit namq; aut intentio defuisse, aut potestas consecrandi defectu ordinis Presbyteratus valide suscepi, atqui non est etiam certitudo Clementem X. esse legitime electum, potuit enim eligi non baptisatus valide, Ergo neq; hæc particularis erit de fide, illum esse Vicarium Christi & successorem D. Petri. Respondeo negando paritatem, Disparitas est in eo, quod Ecclesia DEI habeat assistentiam Spiritus S. in acceptando Capite supremo, vt supra indicatum, vnde si electionem alicuius personæ ad hoc munus, consequitur acceptatio legitima, infallibile est electionem fuisse legitimam, per consequens nullam defuisse conditionem, quæ essentialiter est requisita ad officium Vicarij Christi & successoris D. Petri. De legitima verò acceptatione fecile haberi potest perfecta moralis certitudo. In iudicando de legitima consecratione huius sacerdotis hæc die peracta, non habemus assistentiam Spiritus S. nobis promissam, vnde licet sæpenumero, & ferè ordinariè prudens dubium non sit de legitimitate consecrationis, prudens tamen formido subesse potest, quæ assensum fidei firmissimum impedit.

Hoc pro solutione argumenti satis dictum, non satis verò pro declaratione ipsius doctrinæ de Eucharistia allatæ & admisæ. Occurret enim cuius ex dictis non leuis difficultas de adoratione eiusdem sacratissimæ Eucharistiæ, quam debite & piè post cuiusvis sacerdotis, de cuius legitima consecratione specierum prudens dubium habere non possumus, cultu latriæ veneramur. Si fide Diuina nec obligamur nec possumus credere sub speciebus ab hoc Sacerdote consecratis CHRISTVM DEVM & hominem contineri,

neri, quomodo sine periculo idololatriæ sub istis speciebus CHRISTVM adoramus? quomodo actus supernaturalis adorationis esse potest, si obiectum vt adorabile non proponitur per fidem? Ad difficultatem & deo Vbi non subest prudens dubium de præsentia Christi sub speciebus, probabiliter tineri non potest periculum idololatriæ in exhibendo cultu latriæ CHRISTO vt præsentem sub speciebus; probabilitas enim huius periculi fundari deberet in probabilitate de opposito, quæ hoc ipso non adest, quod dubium nullum sit prudens de non existentia CHRISTI, sub his speciebus. Adest itaq; moralis certitudo, quamvis in gradu minus perfectio in hoc iudicio de præsentia CHRISTI sub his speciebus formato, quæ formidinem quidem omnem prudentem non excludit, excludit tamen dubium prudens omne, & hac formato certitudine iudicium, bene regulat practicè actus adorationis CHRISTO exhibendos. Neque enim ad actus supernaturales, necesse est, vt omnis prærequisita notitia sit fidei Theologicæ, sed sufficit, vt aliqua sit talis, adeoq; sicut ad hoc, vt quis actum supernaturalem misericordiæ eliciat, quò velit indigentiam alterius subleuare, necesse non est, vt per actum fidei Theologicæ credat, hunc hominem verè esse indigentem cui vult eleemosynam dare, sed satis vt fide Diuina credat, honestum esse alienæ subuenire indigentia, quæ certa moraliter iudicatur, ita in præsentem vt supernaturali actu adorationis colas CHRISTVM, sufficit vt fide Theologica credas, Christum sub speciebus legitime consecratis contineri, eiusq; cultum honestum & debitum esse, quantumuis non credas fide Diuina, has species esse legitime consecratis. Et quamvis simul iudices possibile esse, vt sub aliqua hostia non sit CHRISTVS propter invaliditatem consecrationis ex aliquo defectu, necesse non est, nec conuenit vt conditionem explicatam addas, te velle adorare CHRISTVM hinc præsentem, si præsentem est, aut si legitima præcessit consecratio, tum quia talis adorandi modus valde exiguum personæ adorandæ contineret reuerentiam, in quantum non esset absoluta hinc & nunc voluntas, submittendi se tali personæ, sed conditionata, quæ voluntas personæ adorandæ, non multum honorifica & æstimabilis esse potest, vt patet ex humanis; si enim quispiam Regem adoraturus diceret, si tu es Rex, veneror te, aut testificaturus Patri affectum, si es Pater meus, amo te, parum personam hanc honorasse aut amasse ab omnibus prudenter censeretur; tum quia conditio hæc valde imminuit feruorem debitæ adorationis, quandoquidem certitudinem obligationis hinc & nunc ad adorandum præsentem infringit. Debet ergo secundum explicitam tendentiam adoratio ista esse absoluta, quamvis virtualiter interpretatiue, & implicitè sit conditionata, adorans enim absolute, ita est habitualiter in animo constitutus vt si constaret CHRISTVM non esse sub his speciebus, ab adoratione supersederet, quæ habitualis animi dispositio ex eo probatur, quia vnica adorationis causa est, quod existimer præsentem esse defacto CHRISTVM sine vlla dubitatione præsentem in oppositum. Formido prudens quæ posset esse, non obstat quominus secundum tendentiam explicitam absolutus sit iste adorationis actus, cum honestas & obligatio huius actus vt honesti non postulet exclusionem prudentis formidinis de qua est sermo: certissimum namq; & sapientissimum illud rationis dictamen est, quando fundamentum non est sufficiens dubitandi de præsentia CHRISTI sub speciebus certis, honestam esse & debitam illi sub his speciebus adorationem, quandoquidem si omnis formidinis depulsio expectanda esset, omnino suo debito honore Eucharisticè existens, priuandus esset: detrimentum itaq; quasi perpetuum honoris debiti CHRISTO existenti sub speciebus præponderat illi formidini quæ posset esse, & errori qui formidari posset, ne forte reddatur honor dum non est debitus propter non existentiam sub his speciebus, & ita obligatio reddendi hinc & nunc honorem, subsistit firma.

Durum mihi adhuc videtur asserere, quòd omnes & semper actus Fidelium, quos eliciunt assistendo tremendo sacrificio de præsentia Christi sub speciebus, quas hinc & nunc adorationi propositas vident, non esse verè actus fidei. Quid ergo? Censeo actus tales fidelium à potiori esse actus fidei Theologicæ, qui implicitè & interpretatiue conditionales sunt modo explicato de adoratione, tales verò excludunt omnem omnino formidinem, cum prudens formido subesse non possit, CHRISTVM sub his speciebus esse si legitima præcessit consecratio, quam conditionem virtualiter & implicitè aïo contineri ordinariè in actibus de quibus est sermo.

## VIII.

**P**ossibilis est iustitia commutativa propria & rigorosa inter Deum & hominem. Fundamentum Imum est ex S. Scriptura quæ beatitudinem ad Rom: 4. non secundum gratiam, sed secundum debitum nobis impurari dicit. ad Timot. 4. Coronam iustitiæ vocat. 2dum Sic ex Concilijs, Arausicano 2do Can. 48. Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Senonensi, cuius verba sunt. Ei qui fidem seruauerit, coronam iustitiæ reddit. Tridentino quod definit; Iustis proponendam esse gloriam, & ut hæreditatem, & ut mercedem. 3tium Est ex SS. Patrum autoritate: Chrysostomi, Augustini, S. Thomæ, Anselmi, & aliorum. Hi Sacræ Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum textus cum sine vlllo inconuenienti, imo perquam accommodè (ut patebit ex dicendis) in propria significatione intelligi possint, non est ab ea recedendum. 4tium, Fundamentum ex Ratione. Iustitia nullam in suo conceptu formali, aut ratione generica Virtutis aut Specifica includit imperfectionem: Non includit ex ratione generica. Quia hæc non dicit essentialiter inclinationem ad moderandas passiones, sed ad rectas faciendas operationes. Non includit ex ratione Specifica. Ratio namq; Specifica iustitiæ est, quod sit: Constans & perpetua voluntas ius suum unicuiq; tribuendi. Ut honestum est tribuere actu unicuique ius suum, ita honestissima est voluntas constans & perpetua hoc ius tribuendi. Solutionem huius argumenti adfert quidam Recentior; Non esse imperfectionem per se tribuere ius unicuique suum supposito debito: ve è tamen imperfectionem esse, habere debitum tribuendi, quod iustitia supponit. Quia hoc arguit diminutionem dominij super aliquam rem, quæ ex præscripto iustitiæ restitui debet.

Contra est. Debere alicui idque ex propria liberali voluntate debito inducto, nulla est imperfectio in DEO. Nam Imo ipsi Aduersarij admittunt debitum fidelitatis in DEO. & agnoscunt in hoc debito nullam esse imperfectionem. 2do. Hoc debitum, nec arguit subiectionem aliquam, nec molestiam suo debitori inducit: habere etiam diminutionem Dominij particularis super aliquam rem, eadem liberali voluntate interueniente, nulla est imperfectio in Deo. Cum enim in Deo non sit intrinseca indigentia absoluta vllius rei extrinsecæ, nec interitus vllius rei extrinsecæ faciat eum minus beatum, nec ortus magis beatum; diminutio Dominij, quæ extrinsecum quendam rei eius potestate recessum dicit, non potest dicere imperfectionem. Confirmatur Imo. Ad rationem perfecti Dominij pertinet posse vel de toto, vel ex parte ius suum transferre in alium. 2do. Deus non conseruando res aliquas à se productas facit diminutionem sui dominij sine vlla imperfectione. 3tio. Hæc ipsa diminutio dominij per translationem iuris particularis in creaturam cedit vltimò in utilitatem extrinsecam Dei, scilicet gloriam illius: Aliter enim DEUS non transfert dominium rei in creaturam, nisi ut creatura, re per dominium habita, ad gloriam Dei utatur. Totus hic discursus est de abdicatione Dominij particularis in aliquam rem. Nam altum dominium semper in Deo manere respectiue ad omnia creata censemus, quod non impedit, quominus inter DEUM & creaturam iustitia rigorosa intercedat: sicut non impedit, ut inter Rempublicam vel Principem, & priuatum Ciuem, quibus altum super bona Ciuium Dominium comperit, detur iustitia perfecta. Addo quod Deus titulum Dominij particularis physice consideratum, non possit à se remouere super vllam rem: Quia sicut essentialiale est omnibus rebus creatis dependere à Deo: ita essentialiale est Deo esse causam rerum; causalitas verò effectiua alicuius rei est verum fundamentum Dominij rigorosi: Idem nihil dominus titulus secundum moralem considerationem, & ut actu dominio conseruando deseruiens, potest deficere in Deo. Accedente enim translatione Dominij in alium super rem, quæ producitur à Deo, beneficium productionis secundum æstimationem moralem non fundat Deo jus in rem productam, sed subijcit actu rem productam dominio illius in quem traſtulit DEUS ius suum.

Fundamentum 5tium. Nulla conditio ad perfectam iustitiam requisita est quæ repugnet aut iustitiæ creatoris respectu creaturæ, aut creaturæ respectu Creatoris. Inter Deum & creaturam potest esse alteritas perfecta ad rigorosam iustitiam requisita: sicut enim Pater filium emancipare potest, ita DEUS creaturam quoad aliquam bona potest emancipare per pactum voluntarium, dominium particulare aliquarum rerum illi concedendò

cedendo. 2do. Potest esse æqualitas cum quadam proportione, cum opera hominis **V.**  
**G.** iusti habeant condignitatem ad gloriam æternam, adeoque pro gloria in pactum de-  
ducta, tanquam quid æquale exhiberi possunt. Æqualitas hæc non tantum materialis  
erit, sed verè iustitialis, scilicet, inter datum & acceptum: Homo enim ex suis bonis da-  
bit opera bona, DEUS ex suis gloriam: dabit verò homo ex suis, in quantum & auxilia,  
quibus ad horum positionem operum adiuuabitur per prius à DEO pleno iure donata  
accipiet, & dominium sibi concessum suarum operationum habebit; deniq; nullo titulo  
eadem opera hæc & nunc DEUS exiger ab illo. Posse verò DEUM alicuius rei particula-  
re Dominium transferre in hominem, patet ex allatis rationibus. Probatum idem am-  
plius imo. Bona opera nostra supernaturalia habent rationem meriti rigorosi respec-  
tively ad gloriam æternam tanquam mercedem & præmium. Ergo sunt sub nostro do-  
minio. Antecedens docent Scriptura & Concilia. Consequentia probatur. Si non  
essent sub dominio nostro, non posset DEUS operibus nostris bonis obligari, ut per mo-  
dum mercedis aliquid rependat nobis, sicut seruus faciens operas Domino suo; quarum  
dominium non habet, non potest illum obligare ad reddendam mercedem seu præmium.  
Ex natura enim rei nemo tenetur in altero remunerari, quod suum est. Ergo cum ope-  
ribus nostris gloria detur tanquam merces, necesse est hæc opera esse sub dominio nostro  
particulari, diuina scilicet antecedenti interueniente donatione.

2do. Potest homo operationes suas alteri obligare ex iustitia contra voluntatem  
DEI v. g. labore in homicidio iniusto perpetrando, & hac supposita obligatione post  
patratum opus compensationem exigere; ita ut non peccet contra iustitiam respectively ad  
DEUM, vel operationes illas obligando, vel compensationem accipiendo, imo is in cuius  
obsequium obligauit operationes suas, peccaret non compensando, postquam sunt exhibi-  
tæ: Quod si dominium non haberet homo operationum suarum respectively ad DEUM,  
quomodo non esset iniustus contra illius voluntatem operationes suas alteri obligando,  
aut quomodo posset exigere ex iustitia sibi compensationem pro operibus Dei dominio,  
non suo subiectis. Et DEI & nostro dominio particulari subiectas liberas operatio-  
nes, si dicas, duorum Dominium in solidum non tantum pro primo instanti donationis  
& acceptationis, sed etiam pro sequentibus admittes, quod tamen non admittitur. Item  
DEO & homini compensatio erit facienda pro labore homicidij perpetrati. Quare enim  
si æquale dominium habet DEUS & homo, vni debeatur compensatio, & non alteri?

3tio. Quia homo non est Dominus vitæ suæ, peccat contra iustitiam respectively ad DE-  
um seipsum mutilando, aut sibi vitam auferendo. Ergo si non esset Dominus respec-  
tively ad DEUM, iam honorum temporalium, iam operationum suarum, abutendo con-  
tra voluntatem DEI bonis temporalibus, aut suis operationibus, iniustus esset contra DE-  
um, hoc est contra communem sensum. Ergo admitti debet quod DEUS dominium  
particulare aliquarum rerum hominibus concesserit.

Ex solutione argumentorum aduersæ partis eadem veritas magis roboratur.  
Opponit quidam Recentior. A DEO non potest auferri potestas disponendi de aliqua  
re prout voluerit; Quia hæc potestas est annexa Deitati, ita ut illius ablatio auferret  
Deitatem, sicut à DEO non potest auferri omnipotentia, immensitas, sapientia, salus  
Deitate. Ergo DEUS non potest alicuius rei dominium transferre in creaturam. Re-  
spondeo. Potestas radicalis, & potestas dominij alii non est auferibilis à DEO, utpote  
annexa Deitati: Quoniam intantum DEUS habet potestatem radicalem, & domini-  
um altum, in quantum est Author vniuersi, & causa prima omnium creaturarum à se es-  
sentialiter dependentium: Hoc verò esse Authorem vniuersi, esse primam causam, est in-  
auferibile à DEO, & illius Deitati essentialiter annexum. Potest nihilominus DEUS  
ipse liberè transferre potestatem formalem, & dominium particulare super rem aliquam  
in creaturam. Hoc enim annexum non est essentialiter Deitati, sed est actus liber diui-  
næ voluntatis, quo vult ex titulo sibi competentis siue intuitu tituli sibi competentis,  
liberam circa hanc rem dispositionem; adeoque potest hunc non habere, sed illi opposi-  
tum, quo scilicet nolit, ex titulo sibi competentis, plenam circa rem aliquam habere di-  
spositionem, eamque creaturæ transferre. Ad instantiam, Negatur paritas: Quia illæ  
perfectiones sunt necessariae & essentielles DEO, non item dominium particulare in vnam  
quamque rem.

2do. Dominium perfectissimum nulla ex parte restrictum, est perfectio simpli-  
citer

iter simplex; per consequens essentialis DEO. Respondendum sub eadem distinctio-  
ne. Certè nimis esset restrictum Dominium DEI, si hanc limitationem haberet, ut nul-  
lius rei posset ius in alios transferre.

3tio. Acquisitio Dominij est aliqua perfectio. Ergo abdicatio eiusdem est ali-  
qua imperfectio; DEO nulla imperfectio conuenire potest. Ergo nec abdicatio. In-  
iuriosum est hominibus Religiosis argumentum: ex quo sequitur, quòd imperfectionem  
contrahant abdicando dominium. Respondendum. Acquisitionem Dominij esse perfe-  
ctionem secundum Quid, cuius non melius est esse, quàm oppositum eius. Nam sicut  
retentio Dominij est perfectio, ita liber vsus Dominij est perfectio Dominij, tanquam  
actus proprius perfecti Dominij.

4to. Si DEVS per eandem indiuisibilem voluntatem concedit & ius, & termi-  
num Iuris, siue rem ipsam, cuius ius tribuit, non potest intelligi quomodo ad eandem  
rem se obligare possit ex iustitia. Sed DEUS per eandem indiuisibilem voluntatem tri-  
buit ius & terminum Iuris. Ergo. Probatur Maior. Voluntas exoluendi obligatio-  
nem de re danda ex iustitia supponit ius alteri acquisitum, supponere autem non potest,  
si per eandem indiuisibilem entitatem esset concedendù ius & terminus iuris. Mi. P. Non dan-  
tur in DEO duo decreta libera virtualiter intrinsecè distincta, quorum vnum præsup-  
ponat alterum. Ergo neq; decretum vnum collarium Iuris, & alterum collarium  
termini iuris. Argumentum inualido nititur fundamento, ideò vim nullam habet:  
Communis, & solida ratione firmata sententia est, dari in diuinis actibus prioritatem &  
posterioritatem ( abstraho modo à quæstione de constitutiuo formali actuum liberorum )  
cõmunis sententiæ sufficit vel vnicum adferre fundamentũ. Certũ est DEVM aliqua de-  
ternere propter præuisas nostras orationes, ut proinde prior sit præuisio orationum,  
quàm tale decretum alicuius beneficij collarium, ipsam præuisionem orationum, præ-  
cedunt aliqua decreta de existencia orantis, de auxilijs ad orationem concessis, sine qui-  
bus oratio necessariò præuideri in se non potuit. Iam ergo hæc decreta, erunt priora  
decreto beneficij collariuo: Similia plurima exempla adferri possunt.

5to. Posita obligatione DEVS cum sit essentialiter impeccabilis, esset simpli-  
citer necessitatus ad operandum aliquid adextra; hoc autem repugnat illius perfectissi-  
mæ libertati. Contra est: Fidelitas etiam inducit obligationem, quam aduersarij non  
possunt negare; incumbit ergo illis eiusdem argumenti solutio. Directè Respondeo.  
Hanc necessitatem, quæ consequitur obligationem liberè susceptam, non opponi perfe-  
ctioni libertatis in ente impeccabili, & in suis voluntatibus immutabili; sicut in eodem  
ente non opponitur illius summæ libertati; quòd ad malum prosequendum inclinare non  
possit.

6to. Obligatio ex iustitia disiunctiue hæc includit membra, aut rem ponendam,  
cuius ponendæ suscipitur obligatio, aut admittendam culpam, pœnam sustinendam, si  
obligatio non impleatur. Talis in DEO actus esse non potest. Ergo nec obligatio ex  
iustitia. Difficilis & longa indigens explicatione tangitur Quæstio, de voluntatum obli-  
gatiuarum obiecto. Breuiter Assumptum Nego. Obiectum voluntatis exercitè se obli-  
gantis ex contractu iustitiali, pono ipsam rei alicuius traditionem, actus positionem, vel  
omissionem, passionem vsus rei suæ, quam vult obligans se, intuitu voluntatis alterius  
partis, aliquid simile, simili modo circa rem, cuius plenum ius habet, in bonum illius  
intendens, ipsiusque talem traditionem, actus positionem &c. exigentis. Hoc obiectum  
voluntatis obligatiuæ in contractibus ipsa suggerit definitio illa: Contractus est com-  
mutatio inter duos vel plures instituta vtrò citroq; , obligationem ex consensu illorum  
ponens.

7mo. DEVS non potest producere creaturam, quæ ab eo non dependeat in suo  
esse immediatè: Quia dominium Dei diminueretur. Non minùs verò diminueretur, si  
ex iustitia ad aliquam rem obligaret se creaturæ. Ita quidem non pauci existimant hanc  
esse rationem communis illius opinionis contra Durandum de impossibilitate creaturæ,  
quæ non dependeat immediatè à Deo. Ego minimè illam approbo, sed hanc potius  
immediatam assigno. Quod essentia talis creaturæ præiudicet omnipotentia Dei, quæ  
est physica necessaria perfectio, in quantum hæc essentia exemptionem quandam ab im-  
mediata virtute Diuina inuolueret, quæ exemprio repugnat summæ perfectioni omni-  
potentiæ: Perfectiorem enim nemo non dicit Omnipotentiam, à qua omnis possibili  
effectus.

effectus & in esse & in conservari dependeat immediate, quam à qua non omnis hoc modo dependeat. Quare verò hæc exemptio ab immediata virtute Omnipotentia tanquam repugnans DEO rejicitur, ac damnatur, & non damnatur exemptio à perfectissimo Dominio Dei alicuius rei creatura. Ratio est. Quia exemptio alicuius creatura à Dominio Dei, qualem concedimus, est per ipsum actum liberum ex dominio emanantem, eiq; convenientem, exemptio autem illa à perfecta dispositione omnipotentia per aliquem actum liberum illius perfectioni accommodum non potest esse, cum illius perfectio secundum actum primum non sit subiecta voluntati divina. Neque enim ideò hoc vel illud potest, hoc vel illo modo DEVS; quia vult hoc vel illud, hoc vel illo modo posse, sed quia essentia illius tale posse, & tali modo posse convenit. Diminutio ergo physicae potestatis, contrauenit ipsi essentia Divina, ex cuius perfectione, amplitudo extensivè summa potestatis physicae necessariò promanat. Diminutio verò Dominiij formalis seu potestatis moralis in aliquam rem, non contrauenit essentia perfectissima, cum illa fundet Dominium perfectissimum cum libertate suorum actuum, inter quos est diminutio eiusdem Dominiij per aliquam translationem eiusdem in alium.

I X.

**C**HRIſTUS Dominus habuit libertatem indifferentia ad subeundam mortem pro redemptione generis humani. Conclusionem hanc Catholici Doctores tanquam certam unanimitè tenent, cum nec de redemptione nostra per mortem Christi, fas sit ambigere, nec mors Christi propriè meritoria redemptionis nostræ à morte æterna potuerit esse, nisi verè liber ad illam subeundam fuisset Christus. In eo tantum. Doctores scholastici laborant, vt declarent: quomodo fieri potuit, vt Christus esset liber ad moriendum & non moriendum, cum posito præcepto de morte, impossibile fuit illi eam non subire, quia impossibile fuit velle non implere præceptum, quandoquidem propter unionem hypostaticam naturæ humanæ cum Verbo, etiam secundum naturam humanam fuit simpliciter & respectivè ad absolutam quoque potentiam impeccabilis, quæ impeccabilitas potentiam proximam physicam ad volendum non mori, tanquam ad actum peccaminosum sustulit, & inuexit necessitatem volendi mortem. Impeccabilitatem hanc Christi in eo pono, quòd ad exigentiam ipsius hypostasis Divinae unitæ cum natura humana, DEUS decreuerit non dare concursum suum huic naturæ ad vllum actum peccaminosum, & incurrente obligatione morali operandi, dare tantum concursum ad velle operari, & auxilium tale, quod infallibiliter sequatur volitio operandi, ipsaque operatio. Fundamentum huius doctrinae est, quòd per unionem Verbi æterni cum natura humana, ipsa sanctitas Verbi substantialis unita sit cum eadem, adeoque reddidit illam substantialitèr infinitè sanctam, vt haberet summam repugnantiam cum omni omnino peccato, talem enim perfectionem & ipsa sanctitas verbi continet, & natura illi unita apta est habere per participationem, & ratione unionis huius convenit participari naturæ humanæ. Hæc ad difficultatem declarandam. Ad solvendam multæ ab Authoribus adferuntur explicationes, aliquas referam, & quam præ alijs probabiliorè iudico subijciam.

Aliqui ex schola D. Thomæ, nouissimè Gonet disputatione 21. art. 3. §. 3. docent Christo Domino à DEO Patre præceptum rigorosum moriendi esse impostum, voluntatem tamen illius verè & perfectè fuisse liberam, nihil obstante illius impeccabilitate, quia licet non habuerit potentiam nolendi mortem in sensu composito, habuit tamen potentiam nolendi mortem in sensu diuiso præcepti positi. Vnde sequitur quòd habuerit potentiam ad vtrumq; oppositorum, quod sufficit ad libertatem simpliciter. Confirmant: Qui elicit actum amoris Dei, licet in sensu composito non habeat potentiam non eliciendi actum amoris Dei, liberè tamen elicit, quia in sensu diuiso habet potentiam non eliciendi actum amoris Dei. Addit citatus Recentior, non benè imò pessimè ab aliquibus exponi hunc sensum diuisum, & tales expositores ait esse omnes Theologos Societatis, qui scilicet ita hunc sensum diuisum potentia volendi non mori in Christo exponunt, quòd in Christo defacto stante præcepto mortis, non fuerit potentia ad non moriendum compossibilis cum præcepto mortis, sed solum quòd extrinsece in eo potentia ista, si præceptum fuisset sublatum. Thomistarum verò longè aliam esse sensus diuisi legitimam expositionem, nimirum, quòd tamen si sua impeccabilitate supposita Christus non habuerit potentiam moriendi stantem simul cum præcepto, vi cuius potentia, posset

negationem mortis cum illa coniungere, habuit tamen, stante præcepto, diuisam seu abstractam à præcepto, quæ in actum prodire posset, si præceptum non ad esset. Refutantur primo. Potentia ad non moriendum in sensu diuiso ( accipiendo hunc sensum ad mentem Thomistarum ) non est sufficiens ad libertatem, ergo per illam non rectè explicatur libertas Christi. Probatur potentia in sensu diuiso est, quòd Christus stante præcepto de morte, habeat potentiam, qua sit potens ad volendum non mori diuiso & abstracto præcepto; hæc potentia qua diuiso & abstracto sit potens Christus ad non volendum mori, est hic & nunc insolubiliter ligata, vt non possit prodire ad actum volendi mortem, & quidem ligamine antecedenti omne liberum exercitium voluntatis Christi, ergo non est sufficiens ad libertatem, ad quam ita in priori naturæ necesse est constitutam esse potentiam, vt positus omnibus ex parte actus primi ab exercitio liberæ voluntatis independentibus, possit operari vel non operari. Ligamen huius potentiæ stante præcepto de morte insolubile & antecedens exercitium liberum voluntatis Christi, est firma & inuolabilis determinatio ad non peccandum, adeoq; ad non agendum contra præceptum rigorosè obligatiuum, cuius transgressio moralem contineat culpam & offensam DEI, hoc ligamine constriagitur libera voluntas Christi, vt non possit velle negationem mortis, maxime verò, si impotentia physica Christi, quam impeccabilitas illius perfectissima dicit, explicetur ( vti explicandam censeo ) per negationem concursus Dei ad talem actum, qui morale culpâ contineat & offensam Dei: deficere enim essentialiter necessario principio ad actum implicat posse proxime poni actum, concursus autem Dei est essentialiter requisitus ad omnem creaturæ actum. Refutatur secundo, quâdocumq; potentia nõ potest tollere sensum compositum determinatum ad vnum, repugnantè simpliciter cum altero actu, non relinquitur libertas indifferentiæ, sensus enim ille compositus, necessitatis alicuius antecedentis, & determinantis ad vnum, inferi necessitatem determinari vnus. Sed potentia volitiua Christi non potest tollere sensum compositum præcepti rigorosè obligantis & impeccabilitatis necessitatis antecedenter ad volendam mortem, ergo non relinquit libertatem indifferentiæ. Instantia ab aduersario allata non est ad rem, ille enim sensus compositus dicit ipsum liberum exercitium actuale potentiæ, quod dum est, non potest non esse. Sensus autem compositus voluntatis Christi, & præcepti de morte, ac impeccabilitatis illius, dicit omnia antecedentia exercitium voluntatis, quæ cum in priori naturæ adferuat necessitatem volendi mortem, excludunt simpliciter indifferentiam volendi mortem. Censura Authoris contra Theologos Societatis lata de acceptione terminorum in sensu diuiso, & in sensu composito non est æqua. Hæc enim acceptio & in scholis est communis & magis conueniens explicandæ tam plenæ libertati, quàm ligatæ per aliquod principium necessitans, vel suppositionem consequentem. In sensu composito, cum scilicet adiungitur aliquod principium necessitans voluntatem, dicitur voluntas non esse libera, in quantum concipitur cum hoc adiuncto principio, in sensu diuiso dicitur libera comparatè ad idem principium, in quantum intelligitur illud principium diuisum siue separatum à voluntate, ita enim reuera est, quòd potentia libera, ad æquatè libera siue expedita ad liberè operandum non sit, quando habet coniunctum principium aliquod necessitans siue necessariò exigens actum determinatum independentè à suppositione, amoue hoc, positus alijs ad agendum liberè requisitis plenè rit libera & ad vtrumq; oppositorum expedita. Si verò solùm consideretur eadem potentia vt diuisa seu abstracta ab hoc necessitante principio vt cadit sub considerationem, concipietur omnino indifferens & plenè libera, quia tamen à parte rei habet tale coniunctum principium necessitans, re ipsa à parte rei non est libera, non enim ex nostra consideratione & abstractione potentia est libera, sed ex se & suis comprincipijs, quæ habet à parte rei, omniumq; necessitantium principiorum exclusionè. Viderint ergo hi Authores alio modo sensum diuisum explicantes ad libertatem voluntatis in re ipsa declarandam, quod solum per rationem & abstractionem voluntati libertatem tribuant, quando illa est necessitata: cum enim dicunt in sensu diuiso esse liberam ad oppositum, dicunt esse liberam diuiso & abstracto principio necessitante, quod tamen hic & nunc à parte rei est coniunctum.

Vasquius Valentia Lessius, Moncæus, Theophilus, Reynaudus, & plures alij agnoscunt Christum vi præcepti necessitatum fuisse ad substantiam mortis: Sed non ad circumstantias, quæ illi per præceptum Diuinum non erant præscriptæ vt ex hoc vel illo moue subiret mortem, scilicet fortitudinis, vel patientiæ vel misericordiæ erga homines redimendos.

redimendos, ut hoc vel illo tempore, cum magis vel minus intenso actu acceptaret mortem  
ut plures vel pauciores actus acceptationis exerceret, ac proinde in horum omnium ele-  
ctione integram Christo mansisse libertatem. Et quamvis hæc libertas solum ad circum-  
stantias fuerit, bene tamen dici, Christo mortem simpliciter fuisse voluntariam & liberam,  
quia electæ liberè hæc circumstantiæ, erant de substantia actus Christi, quo voluit mor-  
tem sub talibus potius circumstantiis, quam alijs, adeoq; indivisibilis ille actus tam ad  
substantiam mortis, quàm ad circumstantias se extendens, fuit totus liber. Refutatur primo se-  
cundum Apostolum ad Rom. 5. per obedientiam Christi multi constituti sunt iusti, hanc  
obedientiam necesse est fuisse actum liberum, quia alias meritorius non esset. Atqui si  
Christo volitio mortis ad substantiam fuit necessaria posito præcepto riguroso, non fuit  
in Christo obedientia libera & meritoria, nam volitio absolute moriendi fuit necessaria,  
volitio circumstantiarum liberè electarum non fuit obedientiæ actus, ergo nullatenus per  
obedientiã Christi iustificari sunt multi. Nihil refert quod eodem indivisibili actu attingantur  
circumstantiæ, quarum est electio libera, & substantia mortis, cuius intentio est  
necessaria. Idem enim indivisibilis actus comparatè ad diversa, obiecta quæ attingit po-  
test esse liber & non esse liber, sicut idem comparatè ad diversa obiecta potest esse pra-  
cticus & non esse practicus. Refutatur 2do. Si is qui 100 debet alteri, reddat 100  
ut debitos, & simul de sua liberalitate addat 20. vnus indivisibilis actus internus ad 100.  
debitos & 20 liberaliter dandos se extendens, non erit simpliciter actus liberalitatis,  
nec pro illo adæquatè considerato speciales ab accipientè debebuntur gratiæ, sed solum  
in quantum beneficium 20. florenorum continet. Ergo si Christus voluit mortem quam  
necessariò debuit quoad substantiam, licet circumstantias liberè voluerit eodem actu non  
erit laudabilis nisi ratione circumstantiarum voluntarum, nec gratiæ illi debeatur, nisi ra-  
tione earundem, quod Catholicè dici non potest.

Ariaga libertatem moriendi in Christo cum præcepto riguroso & impeccabili-  
tate sic conciliat. Christus accepit à Patre præceptum rigurosum moriendi, sed sine de-  
terminatione certi temporis, quo obligaretur mori, ut proinde potuerit in multos annos  
suam differre mortem, liberè verò defacto elegisse sibi tempus moriendi multo antequam  
præceptum obligaret, & ita mors Christi fuit simpliciter libera, sicut martyribus mors  
dicitur libera simpliciter, quibus tamen non est liberum mortem vitare simpliciter, quia  
naturali necessitate mori eos oportet. Refutatur imo libertas ad mortem anticipan-  
dam quæ aliunde ex præcepto est subeunda, non est libertas ad mortem simpliciter, &  
quoad substantiam, nemo enim vitam pro amico quò ad substantiam posuisse dicendus es-  
set, deberiq; illi gratias pro vita simpliciter posita, cui decreta mors esset post 10 annos,  
ille verò propter amicum statim mori vellent: quemadmodum ipso consentiente Ariaga  
subsec: 3. num. 21. si quis necessitatus ad mortem, certum genus elegisset in gratiam alteri-  
us, non deberentur illi gratiæ quod elegisset mortem, sed quod certum genus. Ergo  
si solam anticipationem Christus elegisset mortis, pro sola anticipatione deberentur gra-  
tiæ, quod admitti non potest. Refutatur 2do. Ponamus quemcunq; longissimum ter-  
minum ultra quem Christus differre non potuisset mortem, in termino illo vel postea  
Christus liberè implere præceptum vel non posset? si posset, explicandum manet, quo-  
modo sine libera anticipatione temporis, liberè posset. Si non posset, ergo præceptum  
quod fuit latum de subeunda liberè morte, fuit de anticipanda quoq; morte, cum sine  
anticipatione libera mors esse non posset, ergo non fuit liber ad anticipandum. Re-  
spondet Ariaga, Christo non fuisse præceptam mortem ut liberam, sed præcisè impera-  
tum illi ut moreretur, siue id faceret necessariò, siue liberè. Contra est imo. Sequitur  
Christum potuisse per impletionem necessariam præcepti adeoq; minimè meritoriam  
redimere genus humanum, quod repugnat fini in hac satisfactione intento, nimirum ut  
iustitiæ diuinæ pro culpa nostra per Christum satisfaceret; satisfactione propria, prout  
contradistinguitur à satisfatione, & ut ipsi Christo gloria ex hac redemptione sequeretur  
qui fuit saltem secundarius finis. Contra est 2do. Repugnat tale præceptum dignitari  
Christi quo obligetur ut si liberè non velit, moriatur necessariò, tanta enim dilectio Dei  
est erga hanc Humanitatem ratione vnioualis hypostaticæ, ut incredibile sit Deum volu-  
isse eum mori etiam volentem pro aliena culpa, & tanta excellentia ut minimè conue-  
niat talibus grauari præceptis.

Ad fundamentum Ariagæ ex morte martyrum sumptum Respondeo non esse  
paritatem



participationem illorum mortis iniuste à Tyrannis decretæ, cum morte Christi à Deo præceptæ præcepto rigoroso, ut supponit Auctor. Disparitas est, quia martyr licet necessitatem habeat naturæ aliquando moriendi, hic & nunc tamen cedit toti iuri suo liberè, quod habet circa vitæ conseruationem: Christus verò per præceptum necessitatus ad mortem, non potest dici cedere toti simpliciter huic iuri liberè, quia per præceptum necessitatus est ad cedendum huic iuri pro aliqua temporis differentia saltem post multos annos. Vnde posito præcepto moriendi & impeccabilitate Christi, libera volitio mortis anticipare ad tempus, quo præceptum vrgeret, non est simpliciter libera volitio mortis, sed libera volitio anticipatæ mortis, siue libera electio temporis anticipati. Responsionis fundamentum est, quòd liberum ius, quod habet ordinariè homo ad vitam suam, non sit ius dominij vitæ, sed ius ad vsum vitæ, vicius iuris habet potestatem ad vim illatiam iniustæ mortis fugiendam vel propulsandam, aut ex inotiuo honesto, nec fugiendam nec propulsandam, quando conseruatio vitæ illius, nisi ipsam vitam auferendo, idè respectu huius necessitatis, quamdiu homo viuuit, nec præceptum rigorosum moriendi habet, totum liberum ius vitæ habet, ratione cuius, liberè abdicari, liberè mori dicitur. Contra præceptum rigorosum Dei, tollit hoc ius Christo pro aliqua temporis differentia, vltra quam, non potest velle vim illatiam mortis fugere, vel propulsare, adeoq; nec potest liberè cedere iure suo comparatè ad illam differentiam temporis, propterea supposito præcepto, non censetur quoad substantiam mortis esse liber, cui enim necessarium est velle mori & cedere iure suo ad vsum vitæ, illi substantia mortis non est libera, cum vitæ conseruatio non sit libera.

Lugonis opinio est, liberam Christo fuisse mortem stante præcepto rigoroso & impeccabilitate Christi, quia liber fuit ad petendam & obtinendam dispensationem in præcepto, adeoq; ad non moriendum. Hanc opinionem iudicavi & iudico esse probabilem, ita tamen ut præceptum Christo datum de morte, non ponatur disiunctiuè, uti ab aliquibus ponitur in hunc modum: volo ut vel moriaris vel dispensationem petas, sed potius conditionatum: volo ut moriaris nisi perieris dispensationem. Ex illo enim disiunctiuo præcepto sequitur, Christum æquè obedientiæ actum positurum fuisse, petendo dispensationem, atq; volendo mori, cum enim duo disiunctiuè imperantur, perinde impletur præceptum, siue hoc siue alterum ponatur, consequens autem est contra sensum omnium. Ex præcepto conditionato quale posuimus, nullum tale inconueniens sequitur, & communiter leges positivæ, etiam simpliciter absolutæ, conditionales sunt implicite, hanc involuendo conditionem: Nisi dispensauero, ut docetur in materia de legibus. Fundamentalis ratio pro hac opinione est; posita libertate petendi dispensationem, ad non moriendum verè est liber, relinquitur enim liberum medium in potestate obligati præcepto per quod applicatum ex libera illius voluntate, sit mors euitabilis sine præcepti violati, one, & idèo quamuis Christo supposito præcepto rigoroso moriendi & impeccabilitate illius, nec actus, quo simpliciter vellet mori, nec actus quo simpliciter vellet non mori, fuit liber, quia, uti ad illum ponendum, ita ad hunc non ponendum necessitabatur modo ad initium conclusionis posito; nihilominus & hic: nolo perere dispensationem in præcepto de morte lato, sed volo ad implendum illud mori, & ille: volo perere dispensationem in præcepto de morte lato, & illà obtentà non mori, fuit verè & propriè liber ratione totius adæquati obiecti, scilicet tam petendæ aut non petendæ dispensationis in præcepto, quam vel non moriendi per adhibitum medium petendæ dispensationis, vel moriendi per neglectum liberè medium petendæ dispensationis. Hinc collige actum illum, quo Christus voluit mori, & obedientiæ fuisse actum, & liberum simul, fuit obedientiæ actus, nam Christus mortem intendit ad implendum præceptum Patris, fuit liber, nam in Christo fuit indifferentia ad volendum mori, renunciando iuri sibi concesso petendæ dispensationis, & ad nolendum mori, volendo uti hoc iure dispensationis, nec præceptum enim de morte lato, nec impeccabilitas illi adiuncta indifferentiam ad tales actus sustulit, quia nec præcepto lato opponuntur, nec impeccabilitati Christi.

Recentiores aliqui apud Ariagam, aiunt Christum liberam fuisse mortem quoad substantiam, supposito præcepto rigoroso de morte Christi & impeccabilitate, quia liberum illi fuit acceptare præceptum de morte à Patre datum, quia verò ipsa acceptatio præcepti non fuisse actus obedientiæ, Apostolus autem per obedientiam Christi asserit nos esse

esse iustificatos, doceat quidam, Christum eodem indivisibili actu acceptasse præceptum mortis, & ipsam mortem, & quidem ex motivo obedientiæ, in hunc v.g. modum: accepto præceptum, & volo mori vt obediam. Refutatur: Actus iste acceptatiuus præcepti, & acceptatiuus mortis, vi acceptati præcepti, non est liber ratione acceptatæ mortis, sed tantum ratione acceptati præcepti. Ergo vt est actus obedientiæ, non est liber & meritorius, ergo per illum non potuit iustificatio nostra esse. Neq; enim ex eo, quod indivisibilis actus tendat in obiectum liberum & necessarium comparatè ad vtrumq;, verè liber est, sicut nec ex eo, quod tendat simul in motiuum charitatis & obedientiæ, comparatè ad alterutrum est actus charitatis & obedientiæ, neq; ex eo, quod tendat in obiectum vnum practicum, alterum speculatiuum comparatè ad alterutrum speculatiuum & practicum est. Quare a libertate petendæ dispensationis, mors verè libera & obedientialiter suscepta dicatur, & non dicatur mors verè libera & obedientialiter suscepta, ab acceptatione præcepti libera: Ratio est, quia præceptum moriendi relinqueñs libertatem acceptandi præcepti, non relinquit libertatem ad id, quod est sub obligatione obedientiæ, sed libertatem ad obligationem obedientiæ inducendam. Præceptum moriendi relinqueñs libertatem petendæ dispensationis, relinquit libertatem ad id, quod est sub obligatione, relinquendo medium, quo submoueri possit obligatio, ideo mors præcepta liberè eligitur, per actum renunciatiuum iuri petendæ dispensationis ex intentione moriendi.

Suarij mens fuit Humanitatem Christi in sensu composito vnionis hypostaticæ esse impeccabilem, liberam tamen in obseruatione præcepti sibi impositi, quandoquidem vnio hypostatica, non immutat modum operandi, sed solum exigit regimen & gubernationem Humanitatis, vi cuius DEus exhibeat Humanitati auxilia, quæ per scientiam mediam nouit efficacia. Sicut ergo, seclusa vnione hypostatica auxilium efficax non lædit libertatem, ita & in sensu composito vnionis hypostaticæ non lædit, quia ex vnione ista, nec voluntatis vis imminuitur, nec auxilijs vis prædeterminandi tribuitur independens à libero voluntatis exercitio. Refutatur imo. Impotentia ad peccandum in Christo non potest constitui in collatione auxiliorum efficacium modo explicato, nam vel illa excludunt concursum Dei in actu primo præparatum Christo ad peccandum, vel non excludunt? Si excludunt, tollunt libertatem, vbi enim potentia non est instructa in actu primo omnibus requisitis ad agendum & non agendum, libertas ad vtrumq; oppositorum non est: si non excludunt, ergo in Christo est potentia proxima expedita in actu primo ad peccandum, siue nolendum implere præceptum sibi impositum. Hoc nec Suarius admittit, nec alij Theologi, certè repugnat Deo talis actus, quo velit concurrere cum hac Humanitate Verbo hypostaticè vnita ad peccatum, illa se determinante ad peccatum, cum determinatio ad peccatum huic Humanitati, vi exigentiæ vnionis hypostaticæ sit impossibilis. Refutatur 2do. Repugnat Humanitatem Christi vnitam Verbo, potuisse habere potentiam proximam peccandi, vi enim vnionis, & personalitatis per eam communicatæ, tribuenda est huic Humanitati tanta sanctitas, quanta est possibilis participari à Deo, sed talis quæ repugnet cum potentia proxima ad peccandum, est possibilis participari à Deo. Minor per se nota, maior probatur: Ipsa sanctitas Verbi communicata Humanitati secundum capacitatem Humanitatis, idonea est formaliter tribuere effectum sancti, quantum possibile est sanctitatem participari à Deo, ergo defacto participat quantum est possibile participari à Deo, cum nec forma sanctitatis alia perfectior sit possibilis, quam substantialis sanctitas Verbi, nec modus magis idoneus ad tribuendum effectum formalem sanctitatis subiecto distincto, quam per vnionem veram physicam sanctitatis increatæ, cum subiecto capaci sanctitatis.

Albertus Magnus, Victoria, Ludouicus de Roa, Velasquez Esparsa & alij Recenciores negant impositum Christo fuisse præceptum rigorosum moriendi obligans in conscientia, sed solum præceptum siue mandatum in latiori significatione, prout accipitur pro regula vel ordinatione superioris potentis obligare sub peccato, hic & nunc tamen non obligantis sub vlla culpa Theologica, offensam Diuinam saltem leuem inuoluentem, quales regulæ sunt in aliquibus religionibus, in quarum impletione verè exercetur actus obedientiæ, quando motiuum obedientiæ attingitur. Fundamentum resolutionis est primum. Posito præcepto moriendi non rigoroso, quale asserunt illa scripturæ loca quæ obedientiam Christi in morte subeunda deprædicant, illa quæ mandatum, siue præceptum datum de morte loquuntur, & illa quæ libertatem veram Christi in moriendo con-

ceantur, conciliantur optimè, vt eam indicatum est, præcepti non obligatiui in con-  
 scientia impletio, verè actus obedientiæ est, & præceptum tale licet in latiori signifi-  
 catione verè præceptum dicitur, cui obsequendo obeditur, contraveniendo inobedi-  
 entia committitur, quamuis sine culpa Theologica. Libertas Christi ad moriendum ma-  
 nifestè patet, quandoquidem Christi impeccabilitas in actu primo non excludit indiffe-  
 rentiam ad præceptum tale implendum vel non implendum, cuius non impletio peccati  
 rationem non habet, sicut eadem impeccabilitas non excludit indifferentiam ad eligendos  
 actus magis vel minus perfectos, secluso præcepto rigoroso de certi gradus perfectione.  
 Quamquam non est omnino par ratio indifferentiæ in Christo ad electionem actuum  
 maiorem, vel minorem perfectionem habentium, cum indifferentia ad implendum vel  
 non implendum præceptum non rigorosum, nec obligatiuum in conscientia, illa pro-  
 babiliter, non tantum physicam, necessitatem, sed & moralem ad perfectius præ minus  
 perfecto eligendum excludit, ista tantum necessitatem physicam non verò moralem. Ca-  
 ius ratio est, quia transgressio præcepti quantumuis non obligantis in conscientia, in-  
 uoluit quandam positiuam imperfectionem & indecentiam in genere moris vituperabi-  
 lem, ad quam præcauendam fuit in Christo moralis necessitas, fundata in firmissima in-  
 clinatione ad conformandum se voluntati Patris, quoquo modo præceptiua, similis ei,  
 quam quidam in amando v.g. Deo longo tempore habituali habeat, vt propòsitâ illis  
 debite bonitate Diuina, non possint moraliter affectum ab illius amore cohibere. Hac  
 verò moralis necessitas, minimè officit perfectioni libertatis siue in Christo siue in alio  
 ente creato, sicut maligna inclinatio longa consuetudine firmata ad malum, libertatem  
 actus non tollit. Secundum fundamentum est. Auctoritas Sanctorum Patrum docen-  
 tium Christo non fuisse præceptum rigorosum impositum moriendi: ita docuit Chryso-  
 stomus homilia 59. & 75. in Ioannem, Cyrillus Alexandrinus libro 7. in Ioannem, The-  
 ophilactus in cap. 14. Ioannis. Euthymius in caput 10. Ioannis. Anselmus opusculo de  
 meditatione redemptionis. Imò Cardinalis Toletus ad caput 10. Ioannis annotatione  
 24. pronunciat hanc esse omnium Græcorum Patrum mentem, propterea Ariaga pu-  
 tar eam esse valde probabilem. Lugo esse facilem licet ipsi in alias abiterint sententias.  
 Posterior addit singularem esse. fateor, quia singulariter siue eximie conciliat libertatem  
 Christi cum impeccabilitate illius, minimè verò esse singularem, quasi a paucis defensam,  
 cum tantorum Patrum numerus communem illam & receptissimam esse probet.

## X°

**V**ERBA consecrationis sunt pars sacramenti Eucharistiæ in facto esse. Fundamen-  
 tum primum est, Concilium Florentinum & Tridentinum Vniuersaliter pro-  
 nuntiant, Sacramenta nouæ legis constare rebus vt materiâ, verbis vt formâ, fa-  
 cta solum restrictione quadam de Sacramento matrimonij. Vnde tale pro con-  
 clusione formatur argumentum. Nihil magis est constitutiuum Sacramenti in esse Sacra-  
 menti, quàm forma eiusdem, sicut in rebus physicis, nihil magis constitutiuum totius  
 physici, quàm forma physica: sed verba consecrationis non tantum Sacramenti Eucharis-  
 tiæ in fieri, sed etiam in facto esse, sunt forma. Ergo.

Fundamentum secundum. Per illud formaliter intrinsecè constituitur Sacra-  
 mentum Eucharistiæ in facto esse, per quod formaliter habet, vt in facto esse, siue vt per-  
 manens, sit signum sensibile Corporis Christi, & consequenter gratiæ nutritiæ conferen-  
 dæ in vsu, sed per verba consecrationis, habet esse sensibile Corporis Christi. Ergo per  
 illa constituitur formaliter intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ in facto esse. Maior  
 est certa, quia Sâ tamenta, saltem quæ defacto dantur, de essentia sua, sunt signa sensibilia  
 effectus inuisibilis. Minor probatur. Corpus Christi sub speciebus contentum immedia-  
 tè & per se, non est sensibile, adeoq; nec sensibilibus significatiuum, species verò panis est  
 sensibiles sunt, non tamen sensibilibus significant præsentiam corporis Christi. Sed poti-  
 us substantiam panis, secluis verbis consecrationis. Ergo verba consecrationis sunt id,  
 quo corpus Christi sensibilibus significatur in Eucharistia. Dixi secluis verbis, species  
 panis significare potius substantiam panis. Nam adiunctâ illis formâ consecrationis con-  
 significant ex institutione Christi gratiam nutrientem spiritaliter, ad quam consigna-  
 tionem habent aptitudinem independentem ab institutione Christi, in quantum sensibi-  
 liter sunt significatiua nutrimenti corporalis, quod habet convenientiam analogicam cum

nutrimento

nūtrimento spiritali: ralem verò aptitudinem antecedenter ad institutionem, ad significandum corpus ipsum Christi, minime habent, quia connaturale significatum specierum, quod est substantia panis, non habet convenientiam analogicam cum præsencia corporis Christi. Hinc sumenda disparitas: quare ablutio in baptismo, etiamsi ex se non significet gratiam sanctificantem, emundantem à peccato, suppositâ tamen institutione Christi significat illam sensibilibiter significatione saltem partiali propria sibi, diversa ab ea, quæ competit formulæ baptismi. Species verò panis, etiam suppositâ institutione Christi, non habent partialem significationem immediatam Corporis Christi, sed solum mediatam: quia nimirum ablutio ut contradistincta à formula, habet convenientiam analogicam cum emundatione spiritali independentem ab institutione Christi, quam species panis non habent cum Corpore Christi ut præsente.

Præcipua circa conclusionem difficultas. Cum Sacramentum Eucharistiæ in facto esse, sit Sacramentum permanentis, quomodo verba consecrationis, quæ cum prolatione transeunt, per modum formæ illud constituere possunt. Ad difficultatem responderetur. Quamvis verba consecrationis transeant cum prolatione, permanent tamen recte dicitur hoc Sacramentum in facto esse, tum à partibus quibusdam suis physicè permanentibus; nimirum corpore Christi sub speciebus contento, & speciebus, Corpus Christi continentibus, tum etiam à Verbis ipsis moraliter permanentibus, & secundum hanc moralem permanentiam post sui destructionem physicam, significantibus sensibilibiter. Permanentia moralis Verborum consistit in impossibilitate efficacis retractationis eorundem, propter voluntatem Christi Sacramentum hoc instituentis: hæc enim voluntate institutoris suppositâ, postquam debite prolata sunt à Sacerdote, non amplius manet in potestate illius, ut possit ea retractare vel eorum efficaciam tollere. Unde respectu ad rempus, quo Verba physicè non sunt, sufficiunt ad hoc, ut vel per species relictas ex auditu illorum, & per actum rememorative ex illis ortum, ducant in cognitionem rei significatæ, vel per notificationem de præterita sui existentia ab aliquo factam, id ipsum præstent. Namque quantumvis surdus Sacerdos celebret, ut se non audiat profertentem, nec audiant adstantes verba consecrationis, adhuc illa, modo præfata moraliter manent, & sensibilibiter significant de se, quia ut in actu prolationis de se erant idonea, ut ducerent in cognitionem rei significatæ sensibilibiter, ita post hunc actum, sufficiunt ad eandem ingerendam notitiam, adeoque plenam habent rationem signi sensibilis moraliter permanentis, dum ipsa physicè non sunt. Nemo tamen sibi persuadere debet, aut species relictas ex auditu verborum consecrationis, quæ vocantur ab alijs memoria habitualis verborum, in qua moraliter maneant verba, aut actum rememorative eorundem, qui communiter vocatur memoria actualis eorundem, aut notificationem, ab alio factam, vel signa externa, ex quibus legitime colligitur horum verborum prolatio, esse quoque formam intrinsecam Sacramenti Eucharistiæ in facto esse, hæc enim omnia habent se tantum per modum conditionis applicantis hæc signa sensibilia, ut cognita ducant in cognitionem rei Sacramentalis significatæ. Habere se per modum conditionis, & non per modum formæ, ex eo colligat quivis, quia ipsa verba à Christo assumpta sunt ad Sacramentalem significationem, ut Concilia nos docent, non verò illa memorata, quæ non præsencia physicè verba, ad significandum nobis de præfenti applicant. Sicut enim aliud est, actus primus proximus causæ, aliud verò ipsa causæ, ita aliud est, actus primus proximus significandi, aliud ipsum, secundum se signum, in quo virtus significandi inest: actus primus proximus causæ, etiam conditiones essentialiter requiritas involuit, non verò simpliciter causæ, actus primus significandi similiter etiam conditiones applicativas signi involuit, non verò ipsum signum: conditionibus non tribuitur significatio, sed ipsi signo, sicut effectus causæ, non conditionibus. Præterea ut Verba sacramentalia rationem signorum sensibilium habeant necesse non est, ut actu ducant in cognitionem, sed solum ut possint ducere in cognitionem, vel per se, vel per aliud applicata.

Difficultatis eiusdem alterum punctum est: Videtur moralis permanentia verborum consecrationis, non sufficere ad hoc, ut verba consecrationis hoc Sacramentum permanentis tanquam pars constituent; cum permanentia moralis specierum panis & vini non sufficiat, ut species physicè non existentes hoc constituent Sacramentum. Responderetur non rectè hoc videri, diversitas enim harum partium Sacramenti magna est. Species Eucharistica licet non subiectionentur in corpore Christi, sicut subiectionentur in sub-

stantia panis, ita tamen habent se ad significandum sensibiliter corpus Christi, & sanguinem, sicut habebant se ad significandam sensibiliter substantiam panis & vini, significant enim vestiendo corpus Christi: sicut significabant substantiam panis & vini, illam vestiendo. Cum ergo ut significarent sensibiliter presentem substantiam panis & vini, necesse fuit illas physicè permanere, quia non nisi sensibilitate sua physica, sensibiles memoratas reddunt substantias: necesse quoque est, easdem physicè permanere, ut Corpus Christi significant sensibiliter, illud vestiendo; verba autem quia significatiua sunt rerum non illas vestiendo sensibiliter, sed ut apta exprimere veritatem de obiecto, quia dum moraliter permanent in impossibilitate reuocationis, retinent aptitudinem significandi, sufficit moralis horum permanentia, ut signi sensibilis rationem habeant; retinent autem, nam applicata per actum rememoratium, actu ducunt in cognitionem rei significatæ: siquidem actus rememorativus ipse quidem verba obijcit potentia cognoscitiua, non tamen ipse, ut signum sensibile, ducit in cognitionem rerum significatarum per verba, quemadmodum promissio per reminiscentiam promittenti applicata, mouet ad executionem, proposita honestate in promissionis executione relucente, non verò ipsa reminiscentia promissionis, & quæuis bonitas per cognitionem applicata, mouet voluntatem, non ipsa cognitio.

Difficultatis tertium punctum. Si verba consecrationis dum Physicè non sunt constituerent ut pars Sacramentum Eucharistiæ in facto esse, etiam substantia panis, quæ sub his præcessit speciebus, constitueret ut pars hoc Sacramentum in facto esse, præsertim cum ex præsentis Christi institutione, si non præ supposita substantia panis, sub speciebus eius poneretur Corpus, non esset hoc Sacramentum Eucharistiæ, quod defacto est institutum. Sequela admitti non potest Ergo. R. distinguendo: constitueret hoc Sacramentum ut pars denominationis, Concedo: ut pars virtutis causandi & significandi nego. Sacramentum Eucharistiæ, quoad denominationem validi constituunt ea omnia, quorum aliquo ablato, cæteris partibus positis, non tribueretur denominatio validi, secundum præsentem Christi institutionem; ita & intentio ministri & potestas ministri intrant tanquam partes constitutiua huius Sacramenti ut talis. Illa verò solum constituunt hoc Sacramentum tanquam pars virtutis causandi, & significandi gratiam sanctificantem conferendam in usu, quæ aut sunt ipsa ratio formalis significandi, & causandi, & hoc modo habet se voluntas Christi instituentis, eleuans has v. g. species & verba consecrationis ad significandam & causandam gratiam sanctificantem; aut sunt ea, quæ ad significandum & causandum, eleuantur per memoratam voluntatem Christi; & hoc modo se habent ea, quæ à Concilio agnoscuntur ut materia, & forma sacramenti. Nulli enim requisito ad Sacramentum, magis attribui potest hæc eleuatio, quàm his partibus; taliter ex vniuersali decisione Conciliorum habent se res, & verba, quia habent se ut materia & forma.



Letuoc TSR  
Geatr. Bibliotheka  
No hely Akad emilla